DE VARIA QVERCVS HISTORIA.

ACCESSIT

PYLATI MONTIS DESCRIPTIO,

Authore Io. du Choul G. F. Lugdunenſi.

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA



LVGDVNI,

Apud Gulielmum Rouillium.

1555.

IO. CHEVIGNARDVS BELNENSIS AD AVTOREM.

Ruris amant alij violas & diuitis agri
Spiciferæ laudant munera grata Deæ.
Pendentes alij lætis de vitibus vuas,
Aut oleas,myrthos,conigerásve canunt.
At ſacræ quercus,abiegnáque ſylua Pylati,
Præclara ingenij ſunt monimenta tui.

IVVENIBVS PARENTVM DOCTRINA ACCENSIS SALVTEM.

AEmulatione quadam paternæ hæreditatis præcipuè motus, amantiſſimi adoleſcentes, hac ipſa tempeſtate, qua Chariſſ. pater G. du Choul, Allobrogum Præfectus, immortalitati nomẽ ſuum commendauit, nihil profectò prius habere potui, quàm illa præclariſſima veſtigia tantúmque ſplendorem, veluti per anfractus imitari. Quid enim formoſius aut amabilius nobis accidere potuit? Nam quo tempore ſe cum muſis & literis vixiſſe teſtatus eſt, non ſolùm laudem atque honeſtatem conſequitur, ſed vitæ

ſuæ ſummum exemplar liberis relinquere videtur. Quapropter iuuenes qui ſummopere patriſſare deſiderant, hæc ſic animo agitare poterunt, vt non ſe parentum monumento ſat notos prædicent: verùm bonis artibus atque diſciplinis ita ſint penitus dediti oportet, vt ad communem fructum vtilitatémque quædam afferre poſſint. Bene valete.

Datum Lugduni Cal. Auguſti.

AVTORES QVORVM TESTIMONIO NITITVR LIBELLVS.

Ariſtoteles
Athenæus
Apollodorus
Alex.Aetolus
Aelianus
Auicenna
Antipater
Aulus Gellius
Auguſtinus.D.
Alex.ab Alexandro
Adamus
Budæus
Boëtius
Belonius
Cicero
Callimachus
Celſus
Columella
Claudianus
Cardanus
Clemens Alex.
Dioſcorides
Diogen.Coll.
Diodorus Siculus
Donatus
Ennius
Euripides
Eraſmus
Feſtus
Galenus
Homerus
Heſiodus
Hortenſius Lando
Hyginus
Herodotus
Herm.poëta
Iuuenalis
Iou.poëta
Iab.Iuriſc.

Lucretius
Lucanus
Lucillius
Lucianus
Mneſimachus
Macrobius
Martialis
Merula
M.Ficinus
Mathiolus
Nicander
Ouidius
Olaus. M.
Paulus. D.
Plato
Pauſanias
Plutarchus
Pſellus
Porphyrius
Philoſtratus
Polybius
Plinius
Ruellius
Suidas
Strabo
Seneca
Sophocles
Suetonius
Statius
Seruius Gram.
Theophraſtus
Theocriti Schol.
Titus Liuius
Theodorus Gaza
Vergilius
Val.Maximus
Victorius.P.
Zacharias.P.

DE VARIA QVERCVS APPELLATIONE.

CAP. I.

IABOLENVS δρυὸς nomine omne genus arborum complecti voluit, & exemplo Græci ſermonis, glãdis appellatione omnes fructus contineri recitat. Budæus in ſuis annotationibus in Pand. ſe in antiquo exemplari ἀκρόδρυα, non δρῦς legiſſe meminit: hæc enim ſignificant quæ in ambitu lignoſum putamen habent. βαλάνηρα au-

tem apud eos dici cenſet, quæ glandis verbo Iuriſconſultus intelligat. Non deſunt qui Dioſcoridem dictione δρυός omnes glandiferas comprehendiſſe putent, non ſolùm quòd ſciret vna voce omnia illa genera aſſumi, ſed etiam vt breuitati conſuleret. Δρῦς apud Græcos non modò quercum, ſed quancumque glandiferam ſignificat: qui fit vt ſcriptum ſic ille reliquerit, Δρῦς πᾶσα στυπτικὴν ἔχει δύναμιν. Quercus omnis adſtrictoriam vim habet. Quaſi dixerit, Arbos omnis glandifera adſtringit. Apud vetuſtiores Græcos acceptũ vocabulum pro quauis frugifera arbore multi putarunt, veluti gerandryon, vt bene arbitrentur veterem eſſe arborem. Plinius glandiferas vno nomine comprehendi poſſe Latino ſermone negat. Δρῦς Budæus robur vertit, quod generale nomẽ arborũ eſſe aliqui volunt, & ſpeciale quercus.

Ruellius. Ruellius *Cheſnã* patria voce robur appellat, atq; hoc pro cõmuni glãdiferarum nomine poni à Theodoro

doro Gaza ſcripſit. Sunt qui haliphloei verbo robur accipi credant, quod com pertum non habet Ruellius. Nam idē autor ſic meminit: robur Theophraſto agriadrys dicitur, Capite 126. robur Theophraſto drys. Aiunt eruditi etimodryn eſſe quæ dulcem glandem ſuſtineat: hemerida placidam dicunt, quercúmq; exiſtimant, quam mydion interpretantur. Cæterùm hanc inter quercum & placidam, vel ſi mauis hemerida inueniunt differentiam, vt in iis arboribus quæ maximam ferat glan dem hemeris vocetur: fortius lignum quercus habeat & incorruptius, ramoſa & ipſa procerior & craſsior caudice. Plinius quaſdā glandiferas ſic per ſuos fructus breuiter diſtinxit: glans optima in quercu, roboris parua, hemeridis maxima. Lugdunenſes coloni hoc pacto inter ſe contendunt, quæ plano in loco aut conuallibus quercus creuerit, illis ruſticis *Cheſna* vocatur. Si verò in altis montibus radices egit, qui iuga

Plinius.

habitant agricolæ, *roule* aut *roure* quaſi robur nominant. Roule folio quercus eſt & minore, & duriore materia. In Gallia quercus,quam plebs *Charme* vocitat, ſine glande arbos viuit, lignum maximè expetitur,propterea quòd cæteris præferatur.

De generibus quercuum.

CAP. II.

PAVSANIAS in Arcadũ ſyluis diuerſas eſſe quercus tradidit,quarũ alias πλατυφύλλους, vel latifolias,alias fagos appellãt. Tertiũ autem genus rarũ eſſe, & vſq; adeò leuem præbere corticem retulit, vt in mari anchoris ſigna faciãt. Huius quercus corticẽ Hermeſianax Poëta φέλλον nominauit.Eſt præterea *enzina* quercus in Hiſpania,genus minus, & non adeò rectum, cuius glandes ob ſuauitatem eduntur:hodie vulgus *vellotas* appellat. Repertæ in Olympo hac noſtra ætate

Cardanus de plantis.

admodum

admodum humiles quercus, folio tenui, glande exigua; veteribus fuiſſe incognitas ferunt. Nos ad Rhodani ripas ſaxis hærentes quercus offendimus contorto caudice, fruticis magnitudine & natura ſteriles. Non deſunt qui penitus contendant in quercubus marem & fœminam eſſe: diſcrimen ſic faciunt, vt mas ad vltimam vſque ſenectutem opacis locis folio nō ſpolietur, fœminæ hyemis initio decidat. Galli Andegauenſes quercus inſerunt perpetua coma virentes. Id equidem mihi perſuadere priuſquam vidiſſem non poteram, cùm in Thurino agro quondam quercum proſpectam folia non dimittentem Plinio mirum fuerit. In Græcia hodie hæc quercuum genera faciunt: *melanos ymeri*, Theſſalia drys *leſqui ymeri*. Olim doctiores hæc dederunt: hemeris, ægilops, haliphlœos, platyphyllos, quercus, robur, eſculus, cerrus: his addidere fagum & ilicem.

De

De querno folio.

CAP. III.

Plinius lib. 3. Cap. 5.

QVERNO folio aſsimilata eſt Italia, omnium terrarũ alumna eadem & parẽs. Non equidem fuit inuenuſtum vt vna cunctarum gentium in toto orbe quondam patria, cum omnium arborum & pulcherrima & præſtantiſsima adæquaretur. Non eſt prætermittendum Alexandri Macedonis inuentum, ſeruandæ niuis in ſcrobes, vbi ea ſit coniectis è quercu ramis. Galenus vulnus glutinaſſe falce inflictum refert, cùm nullum adeſſet in prõptu medicamẽ præter ipſius quercus folia. Dolorem dentium ſedare aiunt, ſi non rubent, in vino decocta potáque, omnes alui fluxus cohibent. Cato querna folia, nõ autem perarida animalibus dari iubet. Folia ergo quercus latebrarũ anfractibus ſinuoſiſsima, his, vt volũt penè veſtiũtur, ſcordiõ, triſſago, betonica & ſyderitis.

De

De glande quercea.

CAP. IIII.

GLANS optima in quercu, ſed alia dulcior, molliórque. Genera multa eſſe docent, quæ fructu, ſitu, ſexu, & ſapore diſtent. Cautum olim fuit lege duodecim tabularum vt glandem in alienũ ſolum procidentem liceret colligere. Sunt qui poma inter glãdes non numerari poſſe velint, ne quis hæc impunè colligat. Glãde quondã homines victitaſſe, Cereris vſu nondum reperto, ſatis conſtat.

VERGILIVS,

Heu magnum alterius fruſtra ſpectabis
aceruum,
Concuſſáque famen ſyluis ſolabere quercu.

CVLEX VERG.

Quercus antè datæ Cereris quàm ſemina
vitæ,
Illas Triptolemi mutauit ſulcus ariſtas.

LVCRE

LVCRETIVS,

Glandiferas inter curabant corpora quercus,
Et ſedare ſitim fluuij fontéſque docebant.

THEOCRITI SCHOL.

Et terram calcans propriam ne deſere quercus.

BOETIVS.

Nam qui longa negantibus
Sulcis ſemina credidit,
Eluſus Cereris fide
Quernas pergat ad arbores.

Non ex ſola glande victum olim homines comparaſſe accepimus, ſed in cibis primùm Tyrinthios achrades habuiſſe meminit Aelianus: & ante panis vſum Argiuos victitaſſe pyro memorant, Athenienſes fico, glande Arcades, Indos arũdine, Carmanas palmula, milio Sarmatas, terebintho naſturtióque Perſas. Pelaſgus cum regnare cœpiſſet, primùm quidem rudes homines docuit tuguria facere ad frigoris, imbriúmq;

Pauſanias in Arcad.

briúmque & æſtus incommoda arcenda. Ille idem tunicas conficere è ſuillis coriis inſtituit. Ad hæc cùm vulgò virente adhuc fronde herbíſque ac radicibus, non modò non cibariis ſed plerunque pernitioſis veſcerentur, ſalubriores multo glãdes eſſe, neq; omnes, ſed quæ ſola fago legeretur, perſuaſit. Hac ciues in oppido * obſeſſos vixiſſe perhibent. Glandium cibus tam frequens Arcadibus fuit, vt quo tempore monuit Apollo Lacedæmonios, ne Arcades bello laceſſerent, hunc illis victũ è glandibus attribuerit,

*In Chio alij legunt.

Glande ſatur multa obſiſtet tibi plurimus Arcas:
Noſtra tuis non ſunt contraria numina cœptis.

Plutarchus Arcadas glandiphagos nõ inepte vocauit. Alij verò glandiũ collectores mercede conductos balaniſtas appellãt. Plinius opes fuiſſe multarum gentium glandes etiam pace gaudentium recitat. Ceres poſt aliquot annos

frumen

frumenta inueniſſe traditur, eadē molere docuit, & panes conficere in Attica, Italia & Sicilia : ob id ab antiquis Dea iudicata.

OVIDIVS,

Prima Ceres vnco glebã dimouit aratro,
Prima dedit fruges alimentáque mitia terris,
Prima dedit leges: Cereris ſunt omnia munus.

ET ALIO IN LOCO,

Mutauit glandes vtiliore cibo.

Pauſanias. Mortuo Nictimo Arcas filius regnum ſuſcepit: hic & frumentum à Triptolemo acceptum popularibus ſuis tradidit, panem facere docuit, veſtium texturam, totúmque lanificium quod ab Adriſta didicerat, monſtrauit. Ab hoc rege & ipſa quæ antè Pelaſgia dicebatur, Arcadia terra, & gens Pelaſgi qui fuerant, Arcades nominati. Duxiſſe autem illum vxorem non mortalē fœminam, ſed vnã de Dryadibus Nymphis aſſerunt. Supereſt pro hac re id memo

memorare prouerbiū, quod tacitè non debet præteriri: *Multorum Iouis feſtorū glandes comedit.* De ſene longóque plurimarum rerum vſu. Eſt & conſuetudo vetus ſcitu digniſsima. Mos erat Athenienſibus vt puer quiſpiam in nuptiis indueretur vndique ſpineis frondibus, & quercus glandibus opertus coronatúſque cunas panibus impletas geſtaret. Glandium puluis potus calculo medetur. *Paræmia.*

De melle, fungo, galla, muſco, agarico, aliiſque quercuum fructibus.

CAP. V.

MELLA fert quercus. Q. Curtius in Hircania arbores conſpici, quarū folia multo melle tingantur, faciem quercus habere tradit: & niſi ſolis ortum incolæ præuerterint, fore vel vt medio tempore ſuccus is extinguatur.

VERGILIVS,

In Georgicis. *Et duræ quercus ſudabunt roſcida mella.*

Fungos producit quercus. Sunt qui parum probēt eos qui in quercu, olea, punico, ilice naſcantur. Galenus inter fungos boletos innocentiſsimos eſſe ſcripſit: illi tamen ſi rite coquantur: ſed fungi & boleti à pleriſque negliguntur.

IVVENALIS,

Vilibus ancipites fungi ponentur amicis.

MARTIALIS,

Boletos & aprum ſi tanquam vilia ponis,
Et non eſſe putas, hæc mea vota volo.

Cicero non penitus hos negligere videtur, cùm dicat, fungos & helluellas ita condiunt, vt nihil ſit ſuauius. Naſcuntur ex pituita arborum, ſed tutiores qui rubent callo fungi: ſunt & qui in pratis oriantur.

HORATIVS,

Pratenſibus optima fungis
Natura eſt, aliis malè creditur.

Suetonius. Claudius Imperator natus Lugduni III. Idus Octob. propter boletum medicatum

dicatum periit. Gallam quercus ſuſtinet, nam quæ glandem ferunt, omnes & gallam: ſed hemeris optimam. Deterrima ex robore, optima Comagena. Galla in glandiferis arboribus præter legitimum fructum prouenit. In quercu maximè annoſa muſcus gignitur. In Gallia nullo, in Libani monte ſuaui odore eſt: magnóque in pretio Barutinis illis mercatoribus, qui eo non tantùm ad odores vtãtur: verùm pani immiſcent, arbitrantes latentem quãdam vim ei ineſſe. Dioſcorides bryon in arboribus cedro, quercu, populo alba inueniri tradit. Ipſe in abietibus, ſi rectè iudico, vidi: quidquid eſt, propendere magis, quàm adhærere creditur. Agaricum an quercus promat, adhuc dubitatur. Plinius, Galliarum glãdiferæ maximè arbores agaricum ferunt. P. Belonius ſingulari ingenio medicus, reſiniferæ, & non glandiferæ legendum cenſet. A. Mathiolus Phyſicus eruditiſſimus agaricum in Gallia quod quer-

cuum caudicibus hæreret, Braſſauolum inueniſſe teſtatur. Ego qui ſacramento confirmarent quoſdam audiui in montibus Allobrogũ legiſſe in quercu & larice. Quòd agaricum in quercubus verum non ſit, apparet ex eo, quòd neque vim purgandi habeat, nec ſit amarum. Hac ætate eo infectores vtuntur: qui mos olim ignorabatur. In agarico tanta vis eſt, vt vix credibile. Datur contra ſerpentium ictus, crapulam diſcutit, calculis medetur, hydropicos & tabem ſanat, morbum regium, phthyſicos quoque curat, ſtomacho prodeſt, contra tormina efficaſsiſsimũ febres abſumit, morbos comitiales & articulorum dolores emẽdat: omnibus enim internis vitiis ſalubriter præbetur. Hoſce prætereà gignit fructus quercus bellíſsima, ſi verum Poëtæ dicant.

VERGILIVS,

--Aurea duræ
Mala ferant quercus, narciſſo floreat alnus.

Per

Per inſitionem quercus bona pyra ferre viſa eſt. *Ruellius.*

HORATIVS,

--Quod ſi rubicunda benignæ
Corna vepres & pruna ferant, & quercus & ilex.

Prudens cætera non recitabo, hac præſertim cauſa, ne quercui concedantur quæ ſint robori attributa.

De viſco quercino.

CAP. VI.

VISCVM rariſsimum in quercu plerique putant: veteres dryos hyphear vocauerunt. Ion poëta ſudorem quercus appellauit. Nam quod in abiete & larice fit, ſtelin Euboea dixit, hyphear Arcadia. Viſcum in terra nunquam, & ſemper in arboribus naſcitur, præſertim quercu, robore, ilice, pyro, malóque ſylueſtribus, & terebyntho. Druydæ Gallorum quondam viſco, & arbore in qua

gignatur, dummodo ſit robur, nihil ſacratius habuerunt: nulla enim ſacra ſine ea fronde facere moris erat, fœcunditatémque eo poto vnicuique animali ſterili dari putabant: contra venena omnia remedio eſſe arbitrantes. Id rarum inuentu fuiſſe conſtat, & repertum magna religione petebatur. Sacrificio epulíſque rite ſub arbore præparatis

Plinij verba.

duos admouebant candidi coloris tauros, quorum cornua tunc primùm vinciantur: ſacerdos candida veſte cultus, arborem ſcandebat, falce aurea demetens, quod candido ſago exciperetur: tum demum victimis immolabat, precans vt ſuum donum Deus proſperum faceret iis quibus dediſſet. Tam fallax opinio in rebus friuolis nondum exoleuit. Comitialibus viſcũ mederi nonnulli putãt: vulgus noſtrũ *Guy de cheſne* nuncupat. Ridiculus ſatis alius cultus eſt in ſelagine. Selago ſine ferro dextra manu per tunicam legitur, ſiniſtra exuitur velut à furante, candida

veſte

veſte veſtito, puréque lotis nudis pedibus ſacro facto priuſquam legatur, pane vinóque præfertur in mappa noua, & hanc contra omnium perniciem habendam Druydæ Gallorum prodiderunt. Illi ipſi ſamolin herbam nominauere naſcentem in humidis, quam ſiniſtra manu legi à ieiunis volunt, vt bobus proſit: nec reſpicere legentem decet, & non alibi quàm in canali deponere, ibíque conterere poteris. Redeo ad id vnde ſum digreſſus. Viſcum fit ex acinis immaturis, qui meſſium tempore colliguntur. Diſcutit enim & mollit, extrahit, cõcoquit, vitia purgat primùm, deinde pinguefacit.

De veteribus Gallorum Magis.

CAP. VII.

QVONIAM mentionẽ fecimus de tam falſa Druydum ſuperſtitione, quod eſt etiam abſurdum & ridiculũ dicere proſequamur.

A` δρυός præcipuam deriuationem obtinent Dryidæ. Cæſar Druydas nominauit. Δρυίδαι παρὰ γαλάταις οἱ φιλόσοφοι καὶ σεμνόθεοι. Sunt enim Philoſophi apud Gallos ac deorum cultores: illi & militiæ vacationem, omniúmque rerum habent immunitatem: religiones interpretantur, & ferè de omnibus contro-uerſiis publicis priuatíſque cōſtituunt. *Cæſaris verba.* Multa prætereà de mundi ac terrarum magnitudine, de rerum natura, de ſyderibus, ac deorum immortalium vi diſputant, & iuuentuti tradunt. Hi certo anni tempore in finibus Carnutū (quæ regio totius Galliæ media habetur) cōſidunt in loco conſecrato. Hodie locus ille *la Comté de Dreux* nominatur. De aliis vatibus multa Strabo. Quod vèrò ad anguinum ouum Druydis pertinet, hoc ſe vidiſſe Plinius teſtatur, & deſcribit. Nam in lite id habentem in ſinu equitem Romanū euocatū à Claudio principe, & interemptum nō ob aliud ſcit Plinius. Tiberius Cæſar Druydas,

das,& hoc genus vatum ſuſtulit. Fuere tamen diu vanæ quædam & inanes ſuperſtitiones, tũ in Græcia, aliiſq; locis. Antiqui impares numeros ad omnia vehementiores crediderũt: & pro medicina herbarum folia imparia ferunt, quod fit in trifolio.

VERGILIVS,

Numero Deus impare gaudet.

Multi in febribus ſeptenos verſus deportãt, & pro optimo remedio eſſe creduntur: alij vnũ, quo fortè ſint leuiores.

SATOR AREPO TENET OPERA ROTAS.

Aliæ ſunt rerum coniecturæ. Abſentes olim tinnitu aurium præſentire aiebãt de ſe ſermones, nunc ex altera aure diſcrimen faciunt. Antiquitus cibus de manu prolapſus reddebatur: hac tẽpeſtate ſunt qui parari ſibi fallacias putent. Ieiuna ſaliua quondam multis rebus præſidio fuiſſe fertur: illa hodie (vt aiunt ruſtici) lichen ſanatur. Pollices

premere, cùm fauerent, maiores ſolebant: quando taciturnitate eſt opus, id facere mulieres ſolent. De filice multa fabulosè traduntur, ſi certo die ante ſolis ortum legatur.

De prodigiis & ſacrificiis quercus. *CAP. VIII.*

DAEDALA celebrant Platænſes viri ſeptimo quoque anno hoc more: Ad lucum profecti, in quo ſint quercuū annoſi ſtipites auibus aſſatas carnes proponunt, diligentérque obſeruant ſuper qua arbore coruus aliquis raptam carnem vorauerit. Deinde ex trūco Dædalon (hoc eſt ſtatuam) faciunt. Nam magna Dædala cum Bœotiis vigeſimo quoq; ſexto anno celebrāt. Huius ſacrificij cauſa fuiſſe fertur ob Iunonem iratam, quam cùm primo impetu placare Iupiter nō potuiſſet (hæc enim in Euboeam fugerat) ad Cytheronem Platænſium regem

gem profectus, eius conſilio ſimulachrum ligneum veſtibus opertum currui impoſuit, ſéq; Platæam Aſopi filiã in vxorẽ ducere ſimulauit: quod cum Iuno intellexiſſet, trepida ad currum ilico acceſsit, & ſciſſa ſimulachri veſte cùm fallaciam ſibi conari ſenſiſſet, nobile cõmentum admirata, Ioui reconciliata eſt. Hiſtoria hæc vt cum Bœotiis congruat, ſcire licet Platænſes Bœotiæ indigenas à Platæa Aſopi regis filia nomen ſumpſiſſe. De fonte Agriæ in Lyceo Arcadiæ monte mira hæc ſcribit Pauſanias: ſiquidem in primis æſtatis ac hyemis temporibus Hiſtri amnis incrementa decrementáque iiſdem ferè diebus occulta naturæ ſuæ vi ſubſequi eſt ſolitus: quod ſi fortè ſquallentis anni ſiccitas (vt aſſolet) quæpiam regionis illius tractũ exuſsiſſet, vt inde ſtirpium omnium & ſeminum timeretur interitus, hoc ſibi præſens remedium loci illius accolæ adhibere ſolebant. Iouis Lycei ſacerdos latices prius ſacros veneratus

neratus, immolatíſque hoſtiis & re diuina, vt moris fuerat, perfecta, quercus ramum quem ob id geſtabat in ſacratũ demittebat fontem, ita vt non penitus immergeretur, ſed ſuper aquas nataret: ex illa fontis motione, quam eiectus effecerat ramus, halitum quendam ilico nubeculæ ſimilem ſurſum ferri credebant, ex quo haud multo pòſt iam exacta conflabatur nubes, & multis ad illam concurrentibus nebulis, cælum omne penitus obducebatur, largíque poſtea paulo interiecto ſpatio regionẽ illam irrigabant imbres. Quercus alio in ſplendore apud antiquos fuerunt. Nam Romani, ſicut nouas fruges aut vina, non antè deguſtabant, quàm ſacerdotes primitias libaſſent, metere pariter non anteà moris erat, niſi ſacrificio rite quercui & Cereri celebrato.

VERGILIVS,

--Neque antè
Falcem maturis quiſquã ſupponat ariſtis,
Quàm

Quàm Cereri torta redimitus tempora quercu
Det motus incompoſitos & carmina dicat.

Poſtquam amputatæ ſegetes ſint hac noſtra ætate, quaſi quercuum memores viri ad reliquias meſsium dum cōmeant à glande, *glaner* dicunt. Tam veneranda itaq; quercus, vt in ſacris ignē craſsioris corticis quercus, accendere vel adolere nefas eſſet.

De ſimulachris quercus, & quare Ioui dicata.

CAP. IX.

SIMVLACHRA veterum querna aliqua fuerunt, quædam ex cedro, lotho, milace, cypariſſo, Græci ξοάνα dixerunt. Cedrinus Romæ fuit in delubro Apollo Soſianus. Ex vite Iouis ſimulachrū in vrbe Populonia vetuſtiſsimum videbatur, & Maſsiliæ vetus admodum patera. Non eſt

eſt enim, vt docet Plinius, vlli ligno æternior natura. Veruntamen inter vetuſtiſsimas arbores quercus Dodonea colebatur. Viſæ ſunt & in Ili tumulo quercus quæ tunc ſatæ dicebãtur, cum *Plinius.* cœpiſſet Ilium vocari. In Ponto circa Heracleam aræ fuerũt Iouis Stratij cognomine, ibíq; viſæ ſunt quercus duæ ab Hercule ſatæ. Vetuſta penes Cepheſum proſpiciebatur quercus, quam perinde Alexãdri quercum vocarunt, *Plutarchus.* quòd ibi caſtra poſuiſſe credatur. Ioui ſacras quercus eſſe dicunt, propterea *Callimachus.* quòd in Arcadia Rheæ parienti Iouem vmbraculo fuerint. Nonnulli aiunt Ioui dicatam, quòd hanc arborem omnium primam, & omnium altiſsimè radices agere arbitrentur.

De fatidica quercu.

CAP. X.

IN EPYRO ciuitas Dodona celebris, Δωδώνην φηγόντε πελασγῶν ἕδρανον ἦεν, & nõ procul ab vrbe ſacrum

ſacrum Ioui nemus.

STATIVS,

Et nemorum Dodona parens.

A' Pelaſgis non longè à ſylua tẽplum conſtructum, in quo quercus vocales fuiſſe memoriæ prodiderunt.

VERGILIVS,

De cælo tactas memini prædicere quercus.

IDEM IN GEORG.

Atque habitæ Graiis oracula quercus.

IN CVLICE,

--Et nunc defende puellam,
Quam comitabantur fatalia carmina quercus.

De dubiis caſibus reſponſa accepturi ad quercum accedebant homines. Alexander Epyri Rex apud Dodonã oraculo monitus eſt, vt vrbẽ Panduſiam & amnem Acheruſium vitaret, vt fatalia loca. Deucalionẽ & Pyrrhã deſinentibus aquis numen hoc (ridiculum) conſuluiſſe fama vulgauit: ab alticonia hauſtum conſilium memorat Homerus.

Ex

Ἐκ δρυὸς ὑψικόμοιο Διὸς βουλὴν ἐπακοῦσαι.
Itaque qui ei liberaliter parere ſciuerant, ſi modò ex Bœotiis eſſent, vbi cõſulto erat opus ſciebant diuinare. Oraculum ergo hoc quoties quis conſulebat, lebetes, canoros tinnitus ædere ſiue caſu, aut data opera perhibent. Sonitus ille tam fuit vocalis, vt æs Dodoneum diceretur, quod præ cæteris clarius tinniret. Conſtat iiſdem in locis fontem Ioui ſacrum fuiſſe, qui cùm ſit frigidus, immerſáſque faces ſicut cæteri extinguat, vbi ſine igne procul admouentur, accendit. Deum Iouẽ antiqui vocarunt, non ſolùm Maximum, Tonantem, Feretrium, aut Statorem, ſed Dodonæum, qui illis in ſacrificiis coleretur. *Homerus.* Ζεῦ ἄνα Δωδῶναι πελάσγικε. De veteri iſta ſuperſtitione & anilibus mẽdaciis pleni ſunt oẽs libri. A' Dodona Dodonides nymphæ, quæ cùm Iunonis iram vererẽtur, Dodonæus Iupiter eas in cælum intulit, & ſtellas eſſe iuſsit. Eſt ab Hygino traditum, ſeptem Hyadas

das Dodonides nymphas appellatas, quæ ſuffitus & libamina in ſacris exhibere & miniſtrare propè viderentur. Dodonæ vetus oraculū. Epyrotarum gentes (prius quidem Chaones, poſterius verò moloſsi, & theſproti) non ſine multis ceremoniis veneratæ ſunt. Hac illa tempeſtate fuit in honore gerandryon, ſed tandem cum ipſa quercu emarcuit. Si quis fortè locutas arbores facilè non credat, quod nemo vnquam etiam ſtultus ſibi perſuaſit, Ariſtandri apud veteres volumē ſcatebat, & apud Latinos C. Oppidij commentarij, in quibus arbores locutæ reperiebantur. *Plinius lib. 17. Cap. 3.*

De fraude Oraculi Dodonæi.

CAP. XI.

DODONAEVM Oraculum non longè à Delphico: oppidum enim Delph. ſub monte Parnaſi: erat autem Parnaſus, mons phocidis in Bœotia, in duos diuiſus colles,

Thithoræa & Hyampæum. Duram & agreſtem plebem ineſcare non fuit difficile. Origo enim Bœotiorũ à Boeto, vel, vt aliqui autumant, à boue, & per etymologiam nominis boum aures dici poſſunt. Bœotorum ſtultitia multis prouerbiis locum fecit. Auris Bœotica in pinguis iudicij hominem quadrat. Bœotica cantilena dicebatur, cùm rerum initia primùm proſpera fuiſſent, mox turbulenta: vnde Sophocles ſcripſit: ὅταν τις ᾄδῃ τὸν Βοιώτιον νόμον. Apud antiquos malè audierũt vulgò ſtoliditatis nomine, vnde quicquid inſulſum eſſet id Bœotum dicebant. Lucianus in Tragœdo Ioue:

Pauſanias in Bœot.

Βοῦς & ὦτα.

Ἄγροικον τοῦτο εἴρηκας καὶ δεινῶς Βοιωτικόν.

Pro duro & agreſti ingenium Bœoticum. Scripſit in epiſtolis Horatius:

Bœotum in craſſo iurares aëre natum.

Dodonides [illegible] ſacerdotes penes quos era[illegible] [illegible]inij cura, cùm fœ[illegible] [illegible] aſtu reliquos ſupe[illegible] Bœtos fallere didicerant:

rant:ac ne fortè res aliter eueniret,oraculi dubia erant reſponſa.

Aio te Aeacida Romanos vincere poſſe. *Ennius.*

Id Pyrrhi Regis in Delphico falſum fuiſſe M.Cicero exiſtimauit.Nunquam inquit Latinè locutus eſt Apollo, verſúſque facere Pyrrhi tempore deſierat. Plutarchus Philoſophus de falſitate oraculorum librum ædidit, quo proditum,falſa & ridicula fuiſſe. Demoſthenes eximia doctrina & ſingulari ingenio vir præditus, cùm eiuſmodi fraudes animaduerteret, Pythiam ſua etate φιλιππίζειν dicebat, quoniam imperio ac nutu Philippi Regis omnia fierent. In hac inſtituti noſtri ratione,modò de Bœotiis,nunc de Pelaſgis diſſeruimus. Verùm ne ſe torqueat his noſtris dictis probus lector, conſyderare oportet à Thracibus & Pelaſgis eiectos Bœotios, deinde in Theſſalia regnum collocaſſe. Ipſa ~~idem~~ Theſſalia Pelaſgia olim dicta, vel Pyrrhea ſic priſcis illis temporibus Arcadia Pelaſgia eſt

nuncupata. Arcas autem cùm Pelaſogs in deditionem redegiſſet, eorum regionem Arcadiam nominauit. Eſt Theſſalia in Macedonia, Bœotis, in Græcia, in Peloponneſo Arcadia. Hæ regiones vinculo quodam connexæ, inteſtinis odiis & plurimis dimicationibus peractis, ſedes & nomina immutauerunt.

Pom. Mela.

De quercu fato reperta, & Milonis crudeli nece.

CAP. XII.

PHILONOMIA cum venaretur, in Martem incidit, & ab eo grauida facta gemellos enixa eſt, quos Nyctimi patris metu in Erymanthum eiecit. Illi tamen Deorũ prouidentia illæſi ad cauam quandam quercum delati ſunt: vbi quum lupa luſtrũ haberet, propriis abiectis in fluentum catulis, infantibus vbera præbuit. Hoc

Plutarchus In paral.

Hoc Tyliphus paſtor conſpicatus, ſuſceptos pueros educauit vt ſuos, alterum quidem Lycaſtum, alterum verò Parrhaſium appellans. Illi tãdem etiam quercus auxilio Arcadiæ regnum ſunt conſecuti. Primus ille vrbis & imperij conditor Romulus fuiſſe in iiſdem vitæ periculis traditur. Nam hunc cum Remo dum apud arborem caſu paſtor Fauſtulus reperiſſet, prius quidem à lupa enutritos tulit in caſam: ad ſtabula delatos alij ſcribunt, & Laurentiæ vxori vt educarentur traditos eſſe: De Milone hæc legũtur. Crotoniates cum experiri vires vellet, conatus reſcindere hiantem quercum manibus, redeunte in naturam arbore, retentus à feris laceratus eſt.

IVVENALIS,

--Viribus ille
Confiſus periit admirandíſque lacertis.

De quercu maritima.

CAP. XIII.

Georg. Ag. Naſcitur et ſuper ſuccinũ quercus. Theophraſtus. Plinius.

NASCI quercus in Rubro mari glandiferas certum eſt ſuper lapides atque teſtas fictiles ſine radicibus, ſed patellarum modo adhæreſcentes: folio carnoſo, craſſo, atque oblongo myricæ ſimili, forma eis flexuoſa, atque in latitudinem diffuſior ramis breuibus, contortis, ſpiſsis, magnitudo tota paulò ſexquipede amplior. His propter colorem quaſi purpureum lanæ tingũtur, & ramis earum annexæ pendent conchæ, quædam & cautibus parte ima, vbi milepedes & aliæ generis eiuſdem beſtiolæ, quódq; polypi ſpecimen gerit, populantur. In Luſitania profundo mari quercus naſci glandiferas, vnde thunni veſcãtur, author eſt Polybius: ob id qui dicat thunnos marinos eſſe ſues (ſi Ruellio creditur) non à vero diſcedat. Caucis circa duos præcipuè lacus, littora ipſa

quercus

quercus obtinent, maxima auiditate creſcendi, ſuffoſſæ aut fluctibus propulſæ, flatibus vaſtas complexu radicum inſulas ſecum abſtulerũt, & libramento eo ſtantes nauigauerunt, ramorúmque ingentium armamentis ſæpe territa Romanorum claſſe, noctu inito contra arbores prælio. *Quercus cotra Romanos pugnant.*

De laudibus quercus & eius origine.

CAP. XIIII.

THEMISTOCLES Neoclis filius ſeipſum quercubus comparabat, quoniam illis protegantur & opus habeant mortales, ſi ingruat pluuia, tegménque ramorum appetũt: quòd ſi ſerenus aër ſit, accedentes vellicant eas, & ramis corticibúſq; denudant. Plutarchus memoriæ prodidit quercum inter ſylueſtres quidem arbores fructu longè belliſsimam atq; *Aelianus.*

fertiliſsimam , inter mitigatas autem validiſsimam:hanc appellari quercum exiſtimant, quod in miram amplitudinem creſcat. Querquerum enim magnum & graue veteres dixerunt, vnde febrem frigidam cum tremore querqueram nominabant.

LVCILLIVS,

Querquera conſequitur febris capitiſque dolores.

Querna conſilia pro firmis & conſtantibus habentur. Alia ſunt quæ ad gloriam quercus pertinent. In terris Septẽtrionalibus mos fuit principum cadauera in frondoſis arboribus, præſertim quercinis, tanquam ſacris numinibus conſecratis ſuſpendere. *Olaus magnus.* Eſt etiam hoc ad decus quercuum. Sixtus IIII. Pontifex maximus è familia Rouria traxit originem, pro inſignibus belliſsimam quercum habens. Relinquo multos nobiliſsimos homines & plebeios vbique terrarum, qui quercus nomen inſigne obtinent. Nam alij de quercu, alij *du*

cheſne

cheſne,& nonnulli *du roure* nominantur. Ad reliquas dotes properandum. Reperta hac ætate in nemore *Tronſac* prope Bituriges tanta proceritate atque craſsitudine quercus, vt referre quanta ſit, nemo in animũ inducat. Iuſſu enim mandatóve Franciſci Regis inuictiſsimi & doctiſsimi, aggere veluti facto pedamentis quibuſdam circũmunita eſt, vt cùm venaretur tantus Gallorũ Princeps propter admirationem & inauditam pulchritudinẽ, ſæpe ſub hac poſſet oblectari. Cicero poëma Latinum politiſsimum fecit de Arpinatum quercu Mariana. Tam admirabiles in toto terrarum orbe quercus floruere, vt nihil ſuprà addi poſsit. Pelagos olim locus fuit quercubus conſitus poſt Neptuni templum, quod ad Aleſium eſt montẽ. In minori Britannia ante ædes nobiliũ ſunt veluti porticus, in ordinem diſpoſitæ quercus, quæ cùm annoſæ ſint, nõ ſolùm præclari generis vetuſtatem, ſed ſanctitatem ſignificãt. Nam ſi quis im-

probo caſu à recta honeſtáque via ad turpe facinus deuolarit, non ſolùm vt æquum eſt, afficitur ſupplicio, ſed quaſi pro opprobrio, pro infamia illæ domeſticæ quercus amputantur. His rebus addere licet, quod vix credibile foret. In quadam terræ cicatrice, autore Plinio, quercum reuixiſſe certum eſt. Eſt lis adhuc ſub Iudice, cur cum olea & nuce iuglande tam pertinaci odio diſsideat quercus. Mirum etiã nucem iuglandem ſenio in quercum mutari. Præter id quod cogitari poteſt in eum ſenſum addidit ingenioſus vir, inſociabili eſſe natura quercum & oleã. Quid amplius de tam excellenti arbore dici enarraríque poteſt? Frigorum & calorum iniuriam paſſæ quercus, veluti robora, tardius moriuntur. Ex ſtirpibus exciſæ repullulant, ſicut fraxinus, alnus & laurus, triremium carinæ querceæ plurimum probantur. Abieti aut pino larici vocatæ ferruminari quercus non poteſt. Quercus cæſa anno tertio reſurgit,

Hortẽſius Lando.

git, & in aquis obruta durat, ſitq; ebeno ſimilis. Decorticationem facilè tolerat, licet montibus lætetur: deſcendit in plana, ſtillicidia habet ponderoſiſsima, fulmine icitur frequenter. Quercus partes omnes adſtrigentis qualitatis participes ſunt. Quercus carbo cum melle tritus carbunculum genus morbi ſanat. Cinerem quercus nitroſum eſſe ſatis conſtat. Plinius multa robori tribuit, quæ profectò quercui concedi debent. Suo loco tradentur omnia.

De prouerbiis quercus.

CAP. XV.

IN TANTO humanarum rerũ pretio quercus olim habitæ, vt de rebus geſtis mirum ſit quod Authores ſcripſerint. Hoc in ore omni populo eſt, ἄλις δρυός. Sat quercus. Cicero ad Atticum dixit in eos qui relicta antiqua illa virtute, ad mores, cõ-

ſiliáque

ſiliáque ſui ſeculi ſeſe tranſtulerunt. Multis ictibus deiici quercum ait Eraſmus in re factu quidem ardua & difficili, quæ tamen aſsidua induſtria peruincatur. Hoc in Diogeniani collect.

πολλαῖσι πληγαῖς δρῦς στερὰ δαμάζεται.

Huic rei quadrare poſſunt quos addidimus verſus.

OVIDIVS,

Ardua robuſtis quercus radicibus hæres,
Extollit ramos quæ ſuper aſtra ſuos.
Ictibus immodicis validæ percuſſa ſecuris,
Eruta frondoſum ponit & ipſa caput.

Etiam mœnas quercus facta eſt:de iis qui vix deliniuntur, ab Orphei fabula, quercus ſua cythara demulcẽtis.Hanc parœmiam& præclaris his carminibus ornare viſum eſt.

HORATIVS,

Unde vocalem temerè inſecutæ
Orphea Syluæ.
Arte materna rapidos morantem
Fluminum lapſus, celeréſque ventos,

Blandum

Blandum & auritas fidibus canoris
Ducere quercus.

VERGILIVS,

Mulcentem tigres, & agentem carmine
quercus.

IDEM ALIO LOCO,

Tum verò in numerum Faunóſque, ferāſque videres
Ludere, tum rigidas motare cacumina
quercus.

Ex quercubus nati in eos qui ſint agreſti atque effero ingenio, moribúſque immanibus. Antiquitus enim in cauis quercubus tectorum vice victitabant homines, atque hinc quercubus nati fingebantur, aut ex ſaxis à Deucalione Phyrráque proiectis, mortalium genus abſumptum, denuo inſtauratum fuiſſe.

HOMERVS,

ὀυ γὰρ ἀπὸ δρυός ἐσσὶ παλαιφάτου, ὀυδ᾽ ἀπὸ πέτρης.

Nam neque fatidica è quercu ſatus es, neque ſaxo. Aliam quercum excute.

Ad

Ad præceptorem mutandũ valet, vnde nihil eſt quod amplius diſcas: vel in eos qui petere non deſinant. Per tenebras quæ apud quercum ſunt. Zenodotus Ariſtotelem citat autorem in politia Samiorum Prienenſium plurimos à Mileſiis occiſos fuiſſe iuxta locum cui nomen Quercus. Plutarchus. Cum bellum eſſet inter Prienenſes & Samios initio mediocribus damnis inuicẽ ſeſe affecerũt, deinde iuſto prælio commiſſo, mile Samij à Prienenſibus occiſi ſunt. Septimo pòſt anno congreſsi cum Mileſiis, primos quoſque ciuium ac nobiliſsimos ſimul vno prælio amiſerunt. Quo tempore Bias ille ſapiens Samum à Prienẽſibus orator miſſus & egregiam laudẽ adeptus eſt. Poſt eam itaque calamitatem atrocem ac miſerandam, Prienenſium fœminæ per tenebras quæ circa quercum erãt, obteſtari ac deierare cœperunt, quod liberos, parentes, maritos, chariſsima quæque pignora eo loco perdidiſſent. Pro

Eraſmi verba.

paroœmia

parœmia accipi poſſunt quos ego verſus addidi.

HORATIVS,

Non ſemper aquilonibus
Querceta Gargani laborant.

Rectè poteſt intelligi de eo qui cùm aliqua calamitate prematur, feliciorẽ aliquem inde exitum ſperet.

OVIDIVS,

Durior annoſa quercu.

Ad robuſtum hominem pertinet, qui optimis viribus ſit præditus.

De animalibus quæ in quercubus viuant aut naſcantur.

CAP. XVI.

RICVS martius à Græcis δρυοκολάπτης, quòd ſuo roſtro quercus excauare credatur, ille ſupinus percuſsi corticis ſono pabulum ſubeſſe intelligit: adactus cauernis eorum

rum à paſtore cuneus, admota quadam herba à pico elabi creditur. Vulgò ipſi principales Latio ſunt in auguriis, quid eſt quòd Latini picum venerentur, & eo vehementer abſtineant? cùm regis iuſſu expoſiti eſſent, non modò lupam mammas Romulo & Rhemo præbuiſſe, ſed picum quoque ad infantes ventitaſſe atque eos aluiſſe. Cæterũ locis nemoroſis ac ſylueſtribus in quibus crebrò picus appareat, lupam verſari animaduerſum eſt. Picus Marti ſacer, natura fidus, elatus, atque audax: in capite Prætoris Vrbani L. Tuberonis in foro iura pro tribunali reddentis, ſedit ita placidè vt manu apprehenderetur. In eo portenti aliquid eſſe conſtat.

Plutarchus in prob.

HORATIVS,

Téque nec læuus vetet ire picus,
Nec vaga cornix.

Picus ruendo in oculos impetum facit quando pæonia legatur. Hanc noctu eruere præcipiunt, ne picus martius videat. Faunorum in quiete ludibriis

illa

illa medetur. Qui pici roſtrum habent dum mel eximunt, ab apibus non attingi dicunt: ſuſpenſus etiam in ſurculo primis in ramis, cyathi modo, non accedunt quadrupedes. Solus auium in cauis pullos educat: in Tarentino agro nunquam apparens. Picus veneficio in auem mutatus oracula ædere ſolitus erat. Drinus ſerpēs ſic nominatus, quòd in radicibus quercuum viuat, ſed tam malignus ad perdendum proditur, vt eius qui ſupergraditur imprudens cutis à pedibus excorietur, tota crura intumeſcant, & quod magis mirandum, manus quoque curantium eodem modo periclitari. Si autem quis aggrediatur eum perimere, referūt olfactu mulctatur, adeò vt quemlibet gratum odorem prauū eſſe exiſtimet. Sunt præterea Raucæ in quercus radice vermes, tactu quidem noxij. Aliud & in quercu naſcitur animal, de quo Autores mentionem non faciunt. Eſt de genere ſcarabeorum, quantùm coniectura duci-

tur:colore nigricante, proceris cruribus,geminos capite gerit aculeos,modicè inflexos, quibus acerrimè ſtringit. Hanc beſtiolam fabri tignarij quercus dolando in ipſis viſceribus viuam inuenere. Ruſtici Lugdunenſes *Thurro* nominant. In laquearibus diu vitam agit hoc animal,& ſtudioſi homines in otio nõnunquam cum leui ſtrepitu audierunt. Leo præclarum animal ad quercus attactum horrere atque trepi- *Plutarchus.* dare fertur. Antipater in libro de animalibus regiones illas à lupis non vaſtari aſſerit,quæ quercuum feraces non ſunt.

De corona Ciuica quercea.

CAP. XVII.

AVGVSTVS hanc Agrippæ coronam dedit,& ipſe ciuicam à genere humano accepit. Imperatoris Aug. numiſma vidi cum hac inſcriptione, SALVS GENERIS HVMANI.

MANI. In multis aliis Imperatorũ numis hæc verba leguntur, OB CIVEIS SERVATOS. vel, OB C. S. Harum rerum exempla G. Du Choul Allobrogum Præfectus *aut Baliuus mõtium Delphinatis* pater chariſs. in libro de antiquitatibus Romanorum abunde protulit. Antiquitus hæc corona nulla, niſi Deo, dabatur: deinde cuicunque ſeruaſſe ciuem contigerat, hæc è lege dabatur.

LVCANVS,

Seruati ciuis referẽtem inſignia quercum.

Iulius Cæſar à prætore Thermo in expugnatione Mytilenarum ciuica donatus eſt. *Suetonius.* L. Gellius vir Cenſorius hac in Senatu Ciceronem Cõſulem donari *Aulus Gellius.* à Republica cenſuit, quòd eius opera eſſet atrociſsima illa Catilinæ coniuratio detecta, vindicatáque. Propter Arcadas is præcipuè quercui honos reddebatur, ſiue quòd facilem militi fructum, tum ocyus, tum paſsim quercus exhiberet, ſiue id conueniens ſeruati

ciuis eſſet præmium, aut quoniam Ioui (in cuius tutela ſunt ciuitates) ſacra quercus ſit. Plutarchus in vita M. Coriolani, cùm Romanum ciuem cominus ſuccumbentem vidiſſet, ſpectante dictatore haud cunctatus, eo protecto irruentem confodit hoſtem: inſigníq; quercea corona donatus eſt.

CLAVDIANVS,

--Si lætior adſit
Gloria veſtita ſpoliis donabere quercu.

Ante ædes Auguſti fuit ingens quercus Palatina, quam ob ciues ſeruatos pro foribus Auguſti eſſe dicunt.

OVIDIVS,

Cauſa ſuperpoſitæ ſcripto teſtata coronæ,
Seruatos ciues indicat huius ope.
Et Iouis, hæc dixi domus eſt, quod vt ipſe putarem
Auguriū monti querna corona dabat.

Georgius Merula aut Conſulatum aut triumphū iſtis verſibus ſignificari ſcripſit, ſi de Palatina quercu non intelligantur.

IVVENALIS,

Cum farre & vino Ianum Veſtámque rogabat,
An Capitolinam deberet Pollio quercum
Sperare, & fidibus promittere quid faceret plus.

Cùm Romæ eſſem, magna fuit inter quoſdam diſputatio, dicíne deberet de ciuica hoc Euripidis carmen,

Ἐπὶ δ᾽ ἔθεντο κυανέους στεφάνους δρυός τε, μίλακος τ᾽ ἀνθεσφόρους.

Impoſuerunt autem hederaceas coronas quercúſque milacíſque floridas. Ciuica corona ilignea primò fuit, poſteà ex eſculo, & mox è quercu: huic murales, vallares, & roſtratæ cedunt.

De dryadibus, & de his nominibus quæ à voce drys dryos congenita ſint.

CAP. XVIII.

DRYADES ſyluarum nymphæ quercuum ſunt genij. Varia etenim dæmonũ genera phan- *Pſellus.*

taſiámq; habent variè diſtinctam, atque diſcretam. Quamcumque ergo imaginabilem ſpeciem elegerint, ad hanc ipſam ſeipſos formant: ſi verò in humidis viuunt, molliorem vitæ ductũ tenent, & ſe auibus mulieribúſque ſimiles reddunt: quapropter & Dryadas fœminino ſexu dæmones cognominant. Hamadriades nymphas eſſe itidẽ ſylueſtres ἀπὸ τῆς δρυὸς vocatas. Mneſimachus dictas putat ἅμα ταῖς δρυσὶ, quòd ſimul cum arboribus naſcantur, & vnà intereãt. Frequens de his apud Poëtas mentio.

OVIDIVS.

Stabat in his ingẽs annoſo robore quercus,
Sæpe ſub hac Dryades feſtas duxere choreas.
Sæpe etiã manibus nexis ex ordine trunci
Circumiere modum.

VERGILIVS,

Nymphæ Hamadryades quarũ longiſſima vita eſt.

Sunt & Querquetulanæ nymphæ quer-

ceto præſidentes, quod genus ſyluæ intra portam Romæ fuit. Cælio enim monti Querculano nomen fuit, quòd multiplici quercu ſeptus muniretur. Diuerſis ergo nominibus nymphas diſtingunt, montium nymphæ Oreades dicuntur, ſyluarum Dryades, quæ cùm ſiluis naſcantur Hamadryades, fontiū Naiades, maris Nereides, & quæ in aquis verſantur Ephydrides. A' drys dryos Dryidæ & δρύφακτος, hoc eſt, tabulatum, δρυπέτης adultum fructum ſignficat. Quid ἀκρόδρυα & Drynus eſſent, ſuo loco iam dictum. Dryopis à Regibus Theſſalia cognominata, & ibi genitus Rex nomine Græcus, à quo Græcia. Ex hoc enim primùm ſinu omnis Græciæ claritas refulſit. Drymodis Arcadia initio dicta, & Dryopes. Dryos locus fuit vbi Dionyſij ſacerdotes Orgia celebrarunt. Ex cognatione tanti generis merito eſſe debet dryopteris, in veterum quercuum muſco naſcens filici ſimilis: & polypodion

Plinius. lib. 4. Cap. 7.
Diodorus.

in quercuum caudicibus natum accepimus. Dryophonon præclaro tantum nomine gaudeat. Chamædrys verò ſobolem multo magis illuſtrat, colore & diuiſura quercus. Gallis *cheſnette*, Dryophitæ ranæ quas calamitas vocant in hunc conuentum ſunt vocatæ. Quæ enim arbos aut nobilitate aut vllo genere laudis præſtantior? eſt in tam excellēti ſtirpe Regum ſanctitas, qui plurimùm inter homines pollent.

EX HOMERO SIC VERTVNT,

Pauſanias. Phocica.

Nanque viros nunquam vidi, taléſque videbis,
Qualem Pyrithoum fortem, Regémque Dryantha.

Si quid eſt in re eiuſmodi quod hominum delicatæ aures non libenter accipiant, nemo eſt profectò qui ſuum genus ditari & nobilitari facilè non patiatur.

De

De Robore.

CAP. XIX.

PLINIVS pauca de quercu, & multa dixit de robore. Robur toto ambitu folia ſinuoſa habet, & in ipſo caudice iam denſa ac rara. Ramorum ordo inconditus ſicuti malo, pyro. Craſſus cortex vt fico. In profundũ ſuas radices agit carnoſas, fluuiiſque demerſum nulla marcoris tabe conficitur, ſed in mari putret. Vere cæſum teredinem ſentit: bruma neque vitiatur neque læditur, ſed mollis pars facilè putreſcit. Dum viuit oſſeũ eſt, vt cornus: itaque ex eo ſcandulæ fiunt aptiſsimæ. Hæc connectere præſertim ſtuduimus, cùm à nullo antea cumulata vidiſſem: quæ verò ſuperſunt paſsim leguntur. Robur quædam producit veluti mora, ni diſtarent arida duritie, plerumque tauri caput imitantia, quibus fructus ineſt nucleis oliuæ ſimilis: hæc admodũ raro. Naſcun-

Lib. 13. cap. 14. lib. 16. cap. 31. lib. 13. cap. 13. lib. 16. cap. 9. & c. 33. & 38. lib. 16. cap. 6.

tur & in eo pilulæ nucibus non abſimiles, intus habentes flocculos molles lucernarum luminibus aptos: nam & ſine oleo flagrant, ſicuti galla nigra. Profert & aliam inutilem pilulam cum capillo, verno tempore melligeni ſucci. Gignunt & alæ ramorum pilulas non pediculo adhærentes, candicantes vmbilicis, hæ magna varietate diſperſæ, cocci colorem habent: apertis amara inanitas ineſt. Promit & ex foliis conuolutas pilulas, & in folio rubētes aquoſos nucleos, candicantes & tranſlucidos quamdiu molles ſunt, in quibus & culices naſcuntur, indureſcunt in gallæ modum. Edunt robora terna germina, reliquæ quidem vt primùm cœperunt, cōtinuant germinationem: abieti idem & larici. Hæ corticem inter ſquamas rumpūt, ob id triſſepri, hoc eſt triſquamiæ. *Ruellius.* Plinius docuit rores melleos è cœlo cadentes non aliis magis inſidere frondibus. In arborum fructuum herbarúmque foliis coiiſſe doctiſsimi homines

mines teſtantur. In montibus Allobrogum ſuccũ illũ aut rorem aliqui *manna*,& arborem *melze* nominãt. Nouum quendam modum me docuit Delphinas ruſticus. Antequam enim quercus in magnitudinem aſſurgant,ramos obtruncare ſolent,& vbi per aliquot dies capitatæ remanſerint, paulò pòſt primis illis foliis hæc ſyderum ſaliua hæret. Alia ſunt quæ ad robur pertinent, veluti cachrys (cæteris amentum dicitur) pilula eſt in medicina vrendi vim habens. Melandryon medullam roboris eſſe volunt : cæterùm Plinio herba eſt in ſegete ac pratis naſcens:aliqui ſequentes nominis etymũ,pro quodam roboris genere ſumunt. Ornum & roboris ſpeciem quæ ſterilis ſit aliqui crediderunt. Robur à duritia vocatum nomen nonnulli prodidere: ῥώμη, quaſi Roma fortitudinis ſit nomen. A` robore Roboraria,quibus feræ includebantur,& à tabulis quibus ſepta erãt,priuſquàm mœnibus cingerentur. Pro firmo

morobur vſurpatur.

OVIDIVS,

Expers roboris herba.

VERGILIVS,

Antiquo robore quercus.

Cicero pro Murena cum duritiam victus Spartiatarũ oſtendere vellet, ille inquit, qui quotidianis epulis in robore accumbunt, ſignificauit eos nõ conſueſcere in lectulis accumbere (vt mos erat reliquorum Græcorum) ſed in dura quapiam materia, aut ligno. Robur enim dicẽs, P. Victorij inſigni iudicio, lignum intellexit. Grammatici à robore & robuſtum deducunt.

VERGILIVS,

Robuſtus quoque iam tauris iuga ſoluet arator.

Locus in carcere fuit, cui nomen Robur formidoloſo diróque aſpectu: ex eo enim maleficum genus hominum præcipitabatur. D. Auguſtinus, O` mirum, inquit, commentum, ò ſubtilitas digna carcere & robore. Valerius Maximus

ximus de robore quoſdam præcipitatos ſcribit. Plinius, in Hercynia ſylua (quæ nunc Arduenna vocatur) roborũ vaſtitas intacta, & congenita mundo, immortali ſorte miracula excedens. Roborea materies in opere difficillima quòd criſpa ſit & nodoſa, ponderi non renititur ſicut abies, ſed interdum cedit, interdum frangitur. Robur montes diligit, nec odit valles. Cradiæ in eo gignũtur, vt in vlmo, fico, platanóque. Vlmus in perflatu firma, robur defoſſum, & quercus obruta.

De glandiferis arboribus.

CAP. XX.

GLANDIFERARVM arborũ penè incertus numerus, efficit vt omnes enumerari non poſſint. Hullos arbor eſt glandifera: balauſtum quercum, babalauſtum querceam glandem Auicenna dixit. Robur glandem fert. Eſculus Ioui ſacra, quantum corpore

corpore eminet, tantùm radice deſcendit: fructu glandoſo, querno minore, inter reliquas folij amplitudine præſtat. Sunt qui ab eſu dictā putent, quòd primæ ætatis homines hac veſcerētur. Cerrus glandem ſuſtinet echinato calyce, & à nullo prӕterquam à ſue mā-ditur, nec niſi aliarum penuria. Glans eſt eiuſmodi, ſit ne tamen cerri dubitatur, rotunda penè, nec recedēs quando caduca eſt à ligno, niſi vi detrahatur. Continetur echinato calyce, vt caſtanea, ſed duriore & aſperiore: cruſta cacumine detegitur, ita vt appareat caro: intus in orbem rotat, ſicca maximè, deinde paululū cauatur ſupra corticem. Quod ſupereſt toto ambitu quernæ glandis cruſtā & colorem retinet. Chij hodie *gallonas* vocant, infectoribus vtiles. Cùm de hac glāde antea nemo verba fecerit, iconem ideò ad finem oſtendemus. Ilex tota oſſea, nullo flore exhilaratur: flos enim gaudium eſt arborū, imber eſca. Hæc roboris eſt magnitudine

Theophraſt.

dine,& folio,ſed minore & aculeato.

MARTIALIS,

Puncta notis ilex & acuta cuſpide clauſa,
Sæpe redemptoris prodere furta ſolet.

Ilex aquifolia coccifera frutice, paruo folio aculeato apud Narbonenſes gignitur. Altera ei ſimilis eſt, perpetua fronde virens, & aculeata arbos,quam Plinius aquifolium dixit, in iuſtam arborem proſilit,glãdem nullam,ſed baccam puniceam ſuſtinet: vulgus gallicum *hous* appellat. Smilacem Arcades vocant arborem ilici ſimilem, folio tamen nõ aculeato, iidem Arcades phellodryn nuncupant,quaſi ſuberi quercũ dixeris. *Cerro ſuggaro* Hetruria, ſi quibuſdam creditur,nominat. In Prouinciis *yeoſe*,ſi docti medici velint cõſentire.Suber procera arbor eſt, fructu glandoſo,fraxini folio virẽti. Natura haud ignara quod ſæpius ſpoliaretur, materiem duplici cortice muniuit. Vſus eius muniendis hyeme calciamentis, hodie etiam probatur. Genus hoc cal-

ciamenti Galli *pantoflas*, quaſi totas ex ſubere vocant. Fagus glandifera arbos glans intus triangulari forma, tenui & læui cute, apertus calyx, hiſpidus potius quàm echinatus, quatuor æquis portionibus diuiditur. Aratores noſtri glandem illam *de la fayne* nuncupant. Inter omnes, vt video, glãs fagea pulchrè manditur. Fagi lignũ ad prætexta tuguriorũ, & ad vaſa vtile aſſerunt.

VERGILIVS,

--Duo tibi pocula ponam
Fagina, cælatum diuini opus Alcimedontis.

Hemeris roboris genus, trunco neque erecto, neque læui, glande omnium maxima. Plinius aſsignauit grandiſsimam quercui, ſed deprauatã eſſe lectionem ducamus oportet, vt plurimis locis manifeſtum. Plinius lib. 16. cap. 20. herbã ſabinam rhododendron vocat, mox lib. 24. cap. 2. ſic ait: Herba ſabina à Græcis braty, tunc proprium nomen ſortita. Haliphloeos à Ruellio ſalſicortex

tex glandiferarum peſsima, corde ſola caret atque ictu fulminis ſola deflagrat: glandem fert rarò,& vbi tulerit, eſt amara. De genere glandium caſtaneas eſſe tradunt. T. Cæſar balanum nomen impoſuit excellentioribus ſatu factis:harum multa genera omnes eſſe docent. Eſt genus aliud caſtaneæ, vt arbitror, nemini adhuc notum: humilem illam caſtaneam non longè à Pylatino monte ſumus contemplati,dum matura eſt cum echinato calyculo auellanæ nucis tantum magnitudine, membrana, cortice, & corio conſtat. Sola nunquam ſuo paruo calyce includitur, natura eſt inſuauis. De oxia, quam ſciſsimam dicunt, non poſſum confirmare an glandiferarum in numero rectè poſsit collocari: fructus in calyce molli, caſtaneæ ſimilis dulcedine atque ſucco.Iuglans arbor dicta perinde eſt ac Iouis glans. C. Baſſus in libro de ſignificatione verborum.Hunc fructum quoniam antiqui illi egregium,

Macrobius. glandíque ſimilem, ipſámque arborem Deo dignam exiſtimarunt, Iouis glandẽ appellauere, quæ nunc literis interliſis iuglans nominatur. Auellanæ nuci tam æqua ratione inter glandiferas locum concedemus. Myrobalanum, vt nomine apparet, glandem eſſe arboris conſtat: eadem de myrepſica nuce nõnulli cenſent: qui nucem odoratam, quam vulgò moſchatam vocant, hac glande vnguentaria comprehendi putent, deficere à veritate videntur. Antiquis enim ſi moſchata hæc cognita fuerit voce chryſobalani recipi debet. Myrobalanus & myrepſica nominibus quidem differũt, ſed non re. Quid ſint Lutæa, Cepula, Inda, Beletzica, Empelotica, ſiue Thebaica, Troglodytica, Syriaca, Aethiopica, omnes libri dicunt. De phenicobalano & vulgari *been* nomine conſtans opinio. Aria ſylueſtris arbor glandem producit, pro ilice aquifolia hanc Dores vſurpant. Vlmus inſertis *Donatus.* quercuũ ſurculis glãdifera eſſe putatur.

VER

VERGILIVS,

Glandémque ſues fregere ſub vlmis.

Superſunt Indiæ glandes Latinis meo iudicio & Græcis incognitæ, de quibus non poſſum aliquid viris optimis tradere, neque deſcribere, quoniam arbores non viderim. De glandiferis libellum iamdiu inſtituerã facere, ſed cùm in meas manus nondum incidiſſet multarũ rerum ſpecimen, ſtudioſis anſam præbere contentus fui.

DE VARIA QVERCVS HISTORIA

Finis.

Cerri glandem in quadam parte Græciæ Gallonas *vocant: ſunt qui hanc gl. cerri non eſſe velint.*

GENVS CASTANEÆ INCOGNITVM



GLANS CERRI



GLANS QVERCVS



GLANS SMILACIS PILATINÆ



PILATINÆ ILICIS GLANS




GLANS QVER. PERPET- VIRENTIS



GLANS FAGI



GLANS HEMERIDIS



GLANS SVBERIS



GLANS INDIÆ



Aurelle

Aurelle vul. vitis eſt idæa Theophraſti. Herbam deſertam ſunt qui muſcum terreſtrem eſſe velint.

TRELY VVLGO



AVRELLE VVI·



SP· CACALIÆ



DESERTA VVL·



DE MONTE PYLATI.

CEMMENVS mons in Pyrenen medios per campos rectà perducitur, & in medio deſinit prope Lugdunũ ad ſtadia duo M. prolixus. Hic pro varietate locorum & gentium ſicut Lyguſticum mare immutare frequenter nomen ſolet. Lugdunenſes ex eo quidem (vt plurimi aſſerunt) ſublime iugũ habent incolis omnibus Pylati voce notum: & ab eo Iudæorum rectore ſic vocatum fama vulgauit, qui CHRISTVM cruce affecit. Verùm vt ordiar ab initio, loci celebritas in tanta Galliarum æſtimatione, quanta Olym-

Strabo lib. 4.

Cemmenus mõs.

Pylati mons.

pus apud veteres Græcos fuiſſe fertur. Nam præter illa præclara & egregia quæ poſsidet, habet profectò aliquid fati, quod, niſi ei qui viderit, nemini ſit credibile. De varietate omnium rerum quæ in his locis videantur, ne à veritate deflectam, lituram quidem non addere inſtitui. Mons altiſsimus ex Oriente Viriacum, Beſſam pagum in occaſu habet. Longitudo nemoris, quo veſtitur & ornatur, decem perficit milliaria: latitudo ſtadia dena cõplectitur. Quæ colli adhæret altera ſylua, longè amplior, ſoli Pylatini nõ eſt. Intonſi montis radices abluit Doybius fluuius: qui acceſſu riuorum iam grandis, Rhodanum intrat: ſed antea amni Gierio cõmiſcetur. Vbi Doybius hybernis niuibus intumuit, ex monte demiſſus atque Pylatino digreſſus, quanto magis procedit, huc & illuc diſpergitur. Primo tantæ ſyluæ acceſſu ſunt Doyſienſes à Doybio modico flumine, religione clari homines, opibus infimi, nec apud eos

Viriacũ & Beſſa pagi.

Doybius fluuius.

Gierius flumen.

Doyſienſes ruſtici.

eos pro probro paupertas habetur: qua propter animus harum gētium eodem modo quæſtui & ſumptui deditus. Ingens ille locus magno illis eſt vſui, ligneámque ſupellectilem vbi confecerint, ne per otium torpeſcant manus, impuberes in vrbem deportant. Frumenti enim & pecuniarum egeſtas ſtrenuos eſſe iubet. Quod attinet ad victus rationē ruſticæ plebis, maximè tenues fructibus aluntur, & pecori plerunque parcitur: impenſis alienis aiunt edaces eſſe. Feſto die cum è ſacris ædibus redeant, more maiorū ſuorum inuicem epulari conſueſcunt, ludere, ſaltare, luctari. Agreſtes illi contra feruidos æſtus aut rigorem frigoris eadem ſemper induti toga, calciamentis ferè ſemper centum adacti claui, ne citò terantur. Vt verum dicam, illuſtrius eſt veſte ingenium. Mulieres ſatis venuſta forma: illæ pſallere in ſyluis, & ſaltare manibus nexis patrio equidem ritu bene norunt, Pane canente, tibiiſque va-

riè ſonantibus: vnus eis & idem perpetuò motus, vibrantur in altum brachia, iidem pedes, manus tum demum protendunt: omnis ſaltatio vehemẽs. Nondum iunctis connubio iuuenes, *Bacchelardos* vocãt, (feſtiuè dicamus à Baccho deriuatum nomen) *Caligneros* in Prouinciis nominant, eos qui vehementer amãt. Tam amœnũ igitur ſolũ magno nobis erit in pretio, licet benignius ſapinos quàm homines alat. Eſt profectò terra ipſa pabuli potius quàm frumenti ferax. Via qua itur ad Pylati verticem, primùm præceps & contorta, vbique fruticibus cincta. Locus, ſi verius loqui decet, ſua natura paruis in ordinem diſtinctus collibus, qui quaſi ex induſtria ſimul annexi ſunt, nunc ad buccinam recurui, & aliquando in dorſum elati, aliqui in orbem circumacti: alius alio procerior, frequens aſcenſus, crebrior deſcenſus. In gremio rupis iacet vda illa & quieſcens palus, quam Pylati puteum vulgus nuncupat. De hoc multa

Bacche lards.

Calignai res.

Pylati puteus.

multa & varia incolæ prædicant, Pylati monumentum arbitrantes: & ab eo hor ridam tempeſtatem primùm inchoare referunt. Quantùm ego obſeruare potui, id falſum eſſe contendam. Nam in vertice Pylatini nemoris fit huiuſce rei coniectura. Procreatur enim nebuloſa quædam exhalatio, quæ ſtatim aut futura tonitrua, vel imbres ſignificet. Fit præſagiũ hoc pacto: Si caligo aquilone flante in altum cõſurgat, ſudum denotat: aliter conſidere continenter ſolet: & hoc pluuiæ manifeſtum ſignum. Sunt qui dicãt indiciũ pluuiæ ex *Bauſſenerio* imprimis oriri. Locus eſt procul à palude ſtad. centum. De hac re fatali ipſe mecum ſic cogitabam, vt liquore è terra egreſſo, in ſublime tollatur fumida quædam exhalatio, quæ radiis Solis fugata eiuſdẽ calore diſſoluatur. Penetrabile ſua natura id ſolum reſpirare videtur: quòd ſi quis dicat abietũ cauſa id maximè fieri, quaſi ſapini ex ſuis viſceribus, ex ſuis alimentis hoc *Bauſſeuier.*

ipſi

ipſi terræ concedant. Quid reſpondeamus paratū eſt. Mirum eſt, dicet quiſpiam cur in reliquis nemoris Pylatini partibus eadem nō generetur nubecula: An quòd locum proprium ſortita fuerit, cui partes reliquæ humorē ſubminiſtrent? Aperti illi hiatus terræ vaporem reddunt ad quos coguntur, aut vento aut aëre incluſo, vel natura, aut facili reperto itinere, aut conſuetudine quadam, vel diuinitus reliqui accedere. Phyſicas rationes philoſophis hominibus relinquo. Quando diuina factū eſt prouidentia, quid iuuat ſeſe torquere & diſquirere? Sciunt aliqui cur ſit in Aetna monte ignis perpetuus. Cur Magnes ferrum ſecum trahat, virum arbitror ſcire neminem. Redeo ad id vnde diuertimus. Pylati puteus ſiue palùs ruderibus aut quiſquiliis repleta fuit, ne quid detrimenti pecora caperent. Matronæ lepidè quidem dixerunt quodā in quadriuio paſtorem olim in palude cum ouibus ſubmerſum, nec amplius viſum:

viſum:pueri confirmant caſu quodam poſt aliquot dies fuiſſe in Rhodano repertum. Quid ſit Pylati puteus incolæ in hunc vſque diem ignorarunt: primus ipſe dicam perquiſita diutius re & mox inuenta. Puteus ergo qui ſic dicitur, Gierij fluminis modici, de quo ſumus loquuti, vera profectò origo eſt. Huiuſce fluuij tanta eſt nobilitas, vt ſecum vehat aurum, quaſi ſit in monte antea congenitum. Plinius fluminum ramentis inueniri aurum tradit, vt in Tago Hiſpaniæ, Pado Italiæ, Hebro Thraciæ, Pactolo Aſiæ, Gange Indiæ. Galliæ flumina prætermiſit. Nam in Rhodano inuentum vidi aliiſque fluminibus. Arpalones (ita vocantur apud nos qui aurũ inueſtigare aſſueſcũt) docent præcipuè eſſe illis in fluuiis Galliæ, qui ſunt articulo Grammaticorum maſculi. Rhodani aurum ita purgare ſolent: Arenæ, quæ ex ripa fluminis abſumptæ ſunt, diutius culeo agitatæ multoties lauantur, atque hydrargyro

Quid Pylati puteus.

Gierius fluuius aurifer.

Arpalones.

Rhodanus aurũ fert.

ſuper

ſuperinfuſo ac mox aduſto, quod fuit repertum eluceſcit. Nihil, vt arbitror, referre poteſt an propriè ſint rudera aut ramenta, ſabulũ vel lutum. In Gyerio alius ſolet modus obſeruari. Viri ad dimidias vſque nates aqua teguntur, manúque apprehendunt arenas, in quibus ſi fuerit aurum, ſtatim refulget in magnitudinem milij. Tam magnifici auri inuentores raro innocuam illam Fortunam extollunt, dies noctéſque accuſant, arguunt vt ridiculã & fallacem. Certum ædepol in vitibus colendis amputandíſve vberius eſſe lucrum quàm in pretioſi auri cupidiſsima perueſtigatione. Spes tamen tantæ mercedis, immo nominis quoſque allicit, & in ſe retinet occupatos. Adamas cùm ferrum ignémque cõtemnat, quis neſcit auro adamantinas perfringi fores? Bona quibus viuimus, auro quidẽ com parantur. Superiori palus altera *Bauiſer* annecti poteſt: plus tamẽ ſceleris, quàm amœnitatis habet: idcirco de ea non libet

Auri vis.

Bauiſer.

bet plura dicere. Nouum crimen, nefarium, admirandúmque facinus, nouam tormenti alicuius inuentionem quid intereſt ſignificare mortalibus? Vtinã impiorum ſceleratorúmque vita non extaret, non facta legerentur. Ad id quod eſt dictu non indignum feſtinat narratio. Fons prope ſolitudines tantæ frigiditatis conſpicitur, vt bibentibus intumeſcant ora, manus in eo continere propter rigorem non licet: exhauſta lympha, vt perhibent, nunquam minuitur, neque infuſa augetur. Ferunt illam aquam crebris lapidibus percuſſam, certo anni tẽpore cogi ſtatim tonitrua. Non ſcire, non diuinare potui qua potiſsimum cauſa id accidat. An frequenti ictu luctari flatus in nubibus poſſunt? frigida calidis, ſiccis humida pugnare? Quieſcit fortaſſe perpetuò ea parte aëris anceps tonitru, eámque ſibi propriã elegit ſedem diro oſtẽto. Itaque laceſſitum vicinorum quadam verberatione, citò murmurare & vno impetu to-

Fontis mira frigiditas.

nare incipit Sed generatum quo pacto latere poteſt, inquit ſophiſta acutiſsimus, vt non corruat motus mixtus & violētus. Si omnia quæ mouētur, cum peruenerūt ad proprium locum, quieſcant, ſuum domicilium inueniſſe credatur. Quæ ex alto ſunt & Phyſici & ignari hominis mentem ſuperant, Mutationes temporum, curſus aſtrorum, rerum viciſsitudines, terras & maria, ipſúmque hominem, totúmque mundum vnus Deus regit & moderatur. Quæ autem extat mortalium eruditio, ex improbo quodam labore eſt, & mente prope diuina, longáque rerum obſeruatione. Et illis ſanè plurimùm debemus, qui cruciatus omnes corporis, omnem vim ingenij in literis ampliādis poſuerūt. Poſtquā in Naturæ prodigiis ſumus, ac penè de re fatali diſſerimus, ordine quod eſt reliquum proſequamur. Exſtat hodie Fatalium domus, quæ vocem illam antiquam, *Des Fages*, retinet, palatium procul à ſylua

Fataliū domus.

V.M.

V. M. paſs.mea ſententia id vetuſtiſsimum eſt: tantarũ ædium magnificam ſumptuoſámque excellentiam demonſtrat ſatis quæ ſupereſt luctuoſa ruina. Nocturni lemures baſilicam illam (vt aiunt) diutius frequentarunt. Ego cum adfuiſſem, eiuſmodi ludibria non vidi. Non me præterit tamen dæmones in ædibus priuatis aut publicis eſſe, ſuper aquas, etiam in agris. Non longè à villa noſtra, immo noſtro in fundo, locus nomine *Torropanes* à noſtris ruſticis perbelle in vico Longiarũ colitur, illuſtratur & noſtro amœniſsimo nemore. A' terrore Panico fundũ illum dictũ putaram, quaſi ſit veriſimile Pana ſatyróſque agrum illum habitaſſe. Frugiferos & admodũ fertiles habet campos, quædam etiam inuia & aſpera. Sed crebri fontes & riuuli decorem & ornamentũ præbent. Solum hoc (ne quis ab hiſtoria me putet diſcedere) in oſtiis Pylatinæ ſyluæ iacet. Pluribus ego diuitiis libenter id decorarem, ſed vereor ne ve-

Torropanes.

Longiæ, pagus.

hemens noſtrarum rerum opinio, quibuſdam ſuſpecta foret. Formidabilis ſuo verbo prominet pagus, monti finitimus, *Tartara* hodie accolæ vocant, nec immeritò. Nam agreſtes illi carbonarium negotium exercent, & ſubterraneis quaſique cameratis montium in antris carbones effodiunt. Colles opere nunquam nudantur, ſi quis rectè diſquirat. Gradatim ad ipſum faſtigium conſcendamus. Eſt in eo latè diffuſus campus qui ſubinde frangit ſe in duo cornua, maiore Rhodanum proſpicit, cœlúmque fulcire videtur: altero ſinuat reliqua. Eſt locus, *Agenoliere.* Is confertus multis lapidibus pro colle habetur. De oraculo D. Sabini cùm conſtans non ſit fama, non eſt hominis ingenui aliquid incerti referre. Scio equidem vt ſi quis ſe in orbem vertat, ſenſim propendere reliquos montes, modò vertice ſtriatos, nunc in mucronem emiſſos, nunc imbricatim coëuntes arbitretur. Ab ortu eſt porrectus alius

Tartara pagus.

Agenoliere, colliculus.

D. Sabinus.

alius collis ſatis de ſe conſurgens, intus quaſi replicatus, foris effuſus, quo magis ſurgit, exilior. *Tridens* appellatur ingens id & horrendum ſaxum nullis obductum herbis, pruinis ac nebulis paſcitur. Nullus ad id acceſſus: diceres pro abietũ cuſtodia cogenitũ. Omniũ rerum ſunt quædam in alto ſecreta. Eadem via tugurium apparet non ſolùm ſilentio, ſed cogitationibus deditum. Qui abietũ aſſeres concinnant aut ſerrant, in eo pro more habẽt epulari. Hoc ferarum magis quàm hominum receptaculum aſſueuit regere inſigni corporis mole vir, expers humanitatis, vegetis oculis, impexis crinibus, demiſſa barba, ſquallidus, panníſque obſitus, pectore ſemper aperto & muſcoſo, vt vix inter ſapinos dignoſci poſsit. Hic loquentia promptus, facie enormi potius quàm honeſta ac liberali, caperata fronte, euntes aut abeuntes propoſito pignore ad luctam inuitat. Tam robuſtus pentathlus quos vibrare fertur *Tridens.*

ſilices,duriſsimis in arboribus remanẽt. Quid humeris deportarit ſcit ipſe Atlas, Bacchus verò quantum vini vno prandio hauſerit. Pro condimento illi perpetua quædam fames,quæ etiã vulgaria vorare videatur. In numero partium iure quodam collocandus Calcis mons propter excellẽtiam conſpicuus & quo Graij illi agricolæ gloriari medius fidius poſſunt. Ludit in multis rebus Natura. Sponte quadã vbique fractus modò opacum,modò apricum locum præbens:quaſdam intrinſecus decliues vias, quæ per muſcoſos gradus variè ſcindantur. Beſtiolis locus eſt ille tutus,quibus ſine periculo homines inſidiari non queant. Herbis gratiſsimũ perfugiũ,facilè ſine pœna legi non poſſunt. Collis amœnitas ad contemplatio nem obuios tantum inuitat:hunc enim cõſcẽdere homines nec ſcalis poſſunt. Herbidæ auium illæ ſedes, vimineæq; circum latebræ, & in vmbonem turgidæ partes,quaſi gemmatæ,abeuntes ne

alcis mons.

citò

citò tranſeant remorantur. Nihil à Natura procreatum ſine aliqua occultiore cauſa. Ad Foſſas ſubſequitur locus, quaſi ad Cannas dixeris, propter atrocem cladem. Cæſæ proſtratæq́ue copiæ, ad Foſſas hoſtium ſepultus exercitus. Qua ætate vel queis cum gentibus bellum hoc geſtum fuerit, non ſatis cõſtat. De plantis nunc dicere cõuenit. Illæ delectationis aut valetudinis tuendæ gratia procreatæ, ſilentio non debẽt prætermitti. Primùm, quoniam nouitate homines ducuntur, has tradamus oportet, quæ à maioribus, vt arbitror, non fuerũt cognitæ. Herba deſerta, gentili voce, nomen Latinũ nondum inuenit: folia habet pinus ſed admodũ breuia: natura humi ſpargitur: hac euulſa abigi tonitrua volunt, vel quæ hanc ſecum ferant infœcunda ſunt animalia, ſi ruſticis credatur. Lucas Ghinus Caca- liã appellauit, quæ paſsim nemore Pylatino legatur, folio latiſsimo, parte altera candicante. Agreſtes initium diræ

Foſſa. *Herba deſerta.* *Lucas Ghinus.* *Cacalia.*

tempeſtatis ex ea præſagiunt, cum fo-
Sabucus mõtana. lium ſenſim labatur flectatúrque. Sambucum montanam nominant aliqui eo in luco frequentem, fructu vuarũ modo congeſto, rubente, & ſine vmbella. In ipſo penè montis vmbilico paſsim conſpicitur humilis admodum frutex,
Airelles. *Airelles*, aut *Aurelle* nominant. Claudius Miletus Græcis Latiníſque literis doctus medicus Lugdunẽſis quid eſſet *Aurelle* libenter me docuit. Eſt enim,
Vitis Idæa. inquit, Vitis Idæa Theophraſti, quam vocant Phalacras, fruticoſa, virgis paruulis & ramulis cubitalibus ferè exporrigitur, quibus acini laterales nigri adhærẽt, magnitudine fabæ, dulces, qui lignum vinacci modo intus continent, folium rotundum, paruúmque. Itlai (vt accepimus) *vua dolce* hanc vocitãt. Huic vis inebriandi, vt experti ſunt aratores.
Fabæ nomen. Cùm dicat Thophraſtus magnitudine fabæ, ſciendum eſt fabæ nomen apud Græcos piſum noſtrũ ſignificari. Naſcitur ad latera montis, ſed admodum

raro

raro,*Treilly* arbor vulgò dicta:Tiliā fœminā nonnulli vocant,alij ſorbum torminalē, alij lothi ſpeciem eſſe dicunt. *Treilly arbor.* Eſt hæc humilis, materie quaſi nigra, fructus(maturo luteus color) ſuo quiſque annexus pediculo in formā ceraſi dependet: ſerò manditur, ſed ſuaui ſapore. In ſeptem partes ferè ſemper diſſectū foliū,non tamen æquis portionibus,media linea intercurſante, notam maioribus non crediderim.Lothi ſpecies quædā, *Lothi ſpecies.* vt mihi dixit medicus doctiſsimus,ea ſylua creuit pyri magnitudine,folio per ambitum ſerrato, parte aduerſa colos cinericius, bacca ſubnigra:amygdali amari omnino guſtū ſemen retinet. Abietes Pylati, quas ſapinos nominant, *Abietes Pylatini.* folia inſecta pectinū modo & in ordinem diſpoſita habent,pungentia dici nō queunt,apice inciſa modicè. Abietū vmbra innocua,niſi differentiam locus faciat.Ramum abietis ſapinū vocari me docuit inſignis Phyſicus.Helleborus niger,verbaſcū,meon

aliſma, alchimila, platani ſpecies, carpinus, fagi, ilices montem pertinacíſsimè onerant. Ex animalibus quæ per ſyluam vagantur, feroces apri à ruſticis reformidãtur: raro ceruos ſe vidiſſe ruſtici dicunt, nec damas. Aquilarum & accipitrum genus frequens. Plura ſunt quæ propter loci celebritatem dici poſſent: ſed quod vicini mõtes habeant parum prodeſt memorare.

Animalia Pylati montẽ inhabitãtia.

PYLATINI MONTIS DESCRIPTIONIS Finis.

DE

DE OBSERVATIONE PROSPERAE VALETVDINIS AD STVDIOSOS.

MARCVS Cicero ad Tironem ſcripſit ea quæ imprimis bona valetudo poſtularet: πέψιν, ἀλύπιαν, περίπατον σύμμετρον, τέρψιν, εὐλυσίαν κοιλίας: Hoc eſt, concoctionem, iucunditatem, deambulationem moderatam, delectationem, purgationem ventris. Qui neque languido, neque fracto eſſe corpore deſiderant, hæc præcepta plurimum facere conſueſcũt. Nam niſi carenti doloribus morbíſque vita ipſa pœna eſt. Vt ergo abſit luctuoſa illa infirmitas qua dies noctéſque plerique laborant, animo primùm oportet valere, corpore vt poſsimus. Deinde ab omni saporum conſeruatione variiſq; condimentis abſtinere, vt ſit ſimplex cibus tanquã homini vtiliſsimus.

Lib.16. Epi.fa.

HORA

HORATIVS,

Accipe nunc victus tenuis,quæ, quantá-
que ſecum
Afferat: imprimis valeas bene, nam va-
riæ res
Vt noceant homini credas memor illius
eſcæ
Quæ ſimplex olim.

Qui frequenter ægrotare nolint, diligenter curent neceſſe eſt,ne nimis auidè prandium ſumant, aut quæ difficulter perficiuntur in cibis,vt acria. Denique illi ſalſamentorũ eſum & caſci negligant,fructúſque noxios. Eſt in præceptis maiorum, vt ſit rara venus,nitidus victus,ſupellex munda, nullus clamor:mero ante ſomnos ora, matutinis frigida aqua & oculos colluere præcipiunt. Quæ igitur cura non impenſa conſtant gratioſius ſtudioſi amplectantur. Philoſophus aliquis dixit ſummam medicinam eſſe ea non vti. Temere dictũ:quandò ingenioſi homines ſum-

míque

míque Duces medicorum defectu perierunt. Verùm ſi qua te corporis infirmitas teneat, pro optimo remedio artis medicæ peritiſsimum virum deligas. Finis enim medicinæ, inquit Ariſtoteles, eſt ſanitas. Non tamen omnes ægri conualeſcunt, vt ait Cicero. Idcirco nullam medicinam eſſe dicemus? Qui morbo hæreditario afficiuntur, qui pedibus ſunt ægri, vt non deterius cum illis agatur, medicorum auxilio indigēt. Medicina diuino quodam afflatu mortalibus eſt conceſſa. Imperant Imperatoribus medici. Qui latrare & mordere velit, repentinos multorū interitus obiiciet. Id quidem rarò accidit, nec cùm euenire debeat ſcit nemo. Exempla huius rei crebra ſunt.

Finis medicinæ ſanitas.

Romæ,

HOSPES DISCE NOVVM MORTIS GENVS, IMPROBA FELES
DVM TRAHITVR, DIGITVM MORDET ET INTEREO.

Scripſit

Scripſit Plinius multa morborum eſſe ſigna, ſecuritatis nullum: maximè cùm nemini ſit exploratum ſe ad veſperum vſque victurũ. Cn. Bebius Prætura functus, cũ à puero quæſiſſet horas, obiit. Dictatoris Cæſaris pater manu cùm calciaretur è viuis diſceſsit. A. Manlius Torquatus Conſularis cũ in cœna placentam appeteret interiit. Gaudio Siciliæ tyrannus vitam cum morte cõmutauit. Pudore Diodor⁹ Dialecticæ profeſſor extremum obire diem conatus eſt. Valetudini profectò conſulere decet, non mortis quidem metu, ſed potius ne à bonorum contemplatione arceamur. Interim igitur vt ſanitatẽ tueri poſsimus, primùm purus nobis erit deligendus aër: Coinquinatus enim infeſtat plurima: tum demum optima ſuadenda aqua, cuius vitio multa in corpore contaminãtur. Prætereà mulſo vtẽdum cenſemus. Auguſtus Cæſar cùm ex Pollione Romulo centeſimum annum excedentè quæſiſſet quánam ratione

Cn. Bebij Dict. Cæſaris patris, & A. Mal. Torquati repentina mors.

Dionyſius Sic. Tyr.

Diodorus philoſophus

Romulus Pollio.

tione maximè vigorem illũ animi corporíſq; cuſtodiſſet: Ille reſpõdit, Intus mulſo, foris oleo. Aſclepiades vini vtilitatem admirabatur, adeò vt cui rei bene adæquaretur prorſus neſciret. Democritus autem interrogatus quonam pacto & inoffenſa valetudine homines vitam prorogarent, reſpõdit, Si externa oleo, interna melle delinantur. Mulſi, mellis & vini vtilitates admirantur Medici, ſed quæ ſit harũ eligenda præcipuè non omnibus notũ. Cætera quæ ad alimentum maximè ſpectant & bonum ſuccũ, copioſè dixit Galenus. Porphyrius de abſtinentia vſum carnium ſanitatem impedire recitat, quoniam per quæ recuperatur ſanitas, per eadem perſeuerat: Sic per victũ tenuiſsimum & carnibus abſtinentẽ in priſtinam nos redire valetudinẽ confirmat. Tanti hominis ſententia iudicio medicorum & doctrinæ relinquatur Qui velint floridam & non ægram vitam agere, caducámq; ſenectam firmare, ſit cibus temperatus

Aſclepiades. *Democritus.* *Porphyrius.* *Victus.* *Cibus.* *Potus.*

Exercitatio. peratus, potus tẽperatior. Corpus exerceãt: eo tamẽ exercitatiõis genere, quo ſingulæ corporis partes ad ſudorem agitentur. Poſtremò obnixè euitandum, ne quod eſt ſalutare remedium perdat melancholia. Cerui diutiſsimè viuunt (vt accepimus) quòd cum ſenecta hilariores ſemper fiant. Quare coruus tam longum æuum protrahat, non ſatis conſtat. Nec ſatisfacit illa ratio quòd naturâ rarò bibant. Omnium animalium neceſſe eſt hebeſcant ſenſus & membra torqueantur. Sunt qui dicant breuitate vitæ Naturam hominibus nihil melius dediſſe. Multi equidem immo omnes vel gratiſsimo quodam animo vita cedunt, quæ quanquam ſollicita ſit, bona ſpe æternæ fœlicitatis conſolantur. Cygni prouidentes quid in morte boni ſit, cum voluptate moriuntur. Non deſunt qui interitum verſibus laudare ſoleant. Plurimi verò eundem tumuli carmine lamentantur.

Cur cerui et corui diutiſsimè viuant.

Plinius.

Cicero.

Romæ

Romæ in tumulo.

QVID GEMIS HEV TANTO FE-
LICIA FVNERA LVCTV?
TVRBANTVR LACRYMIS GAV
DIA NOSTRA TVIS.
PARCE PRECOR QVESTVS TRI
STES EFFVNDERE, VIXI:
NON ERAT IN FATIS LON-
GIOR HORA MEIS.
IMMATVRA PERI, SED TV DIV-
TVRNIOR ANNOS
VIVE MEOS CONIVX OPTI-
ME, VIVE TVOS.

Ibidem.

ANXIA ME MISERVM MVLTOS
POST VITA LABORES
LIQVIT, ET IMMERITO FV-
NERE PROCVBVI.

Eſt hodie viuendum cras vt morituri: nihilominus amicis vt vtilitati ſimus, Reipublicæ emolumento omni opera & induſtria eniti debemus bene valere: dein relinquendum aliquid poſteritati quo nos vixiſſe teſtemur. Plura de cæteris rebus quæ ad ſanitatem tuendam pertinent, diceremus, niſi à multis doctiſsimis viris eſſent traditæ.

DE OBSERVATIONE PROSPERAE VALETVDINIS AD STVDIOSOS

Finis.

DIVI

DIVINARVM AC HVMANARVM ARTIVM COMPARATIO.

APPREHENDITE *diſciplinam, ne quādo iraſcatur Dominus,& pereatis de via iuſta.*

Qui volunt præſtantiorem viam deligere, vt facilis ad eum, à quo ſumus profecti, aditus pateat, vtiliſsimū eſſe ducimus DOMINI & DEI noſtri doctrinā toto amplecti conatu: & hanc propterea quòd negligere ſine detrimento non poſſumus, cōtinenter in ſinu retinere debemus, ne in furore nos arguat, aut in ira ſua corripiat DOMINVS. Eſt igitur omni re optabilius atque præclarius ad DEI ſanctiſsimam diſciplinam demigrare, quæ tam à libe-

ralibus ſtudiis differre videtur, quàm anima à corpore. Nam illæ humanitatis artes, vt ait Marcus Cicero, ſecũdas res ornant, aduerſis ſolatium præbent, delectant domi, non impediunt foris. Verùm quod pertinet ad diuinã ſcientiam, nulla eſt tanta vis ingenij, tantáq; dicendi exercitatio, quæ ſacras literas illuſtrare & laudare dignè poſsit. Si ergo has nõniſi admirari poſſumus, propter excellentiam ac dignĩtatẽ, quo honore proſequi, qua beneuolentia complecti debemus? Demus humanitati aliquid: non erit ab æquo alienum tantam gloriã non equidem ſuo decore afficere. Nihil eſt, mihi credite, hac doctrina beatius, nihil omnino bonis omnibus affluẽtius, nihil formoſius, aut in omni genere laudis præſtabilius. Itaque hoc liberatus carcere immortalis ſpiritus, qui cũ corpore includeretur, DOMINI verbũ ob oculos poſuit, idémque præcepta inſequutus hanc magnitudinem habet perpetuò & intuetur. Sine amiſſione

Humanæ literæ.

Diuinæ.

Animæ immortalitas & felicitas.

ſione opes poſsidet, continuũ ſine nocte diem aſpicit, habet ille vitã nullis mortis vinculis obnoxiã, perpetuã felicitatem, ſempiternã lætitiam. Quandiu hoc exiguo & tam breui vitæ curriculo manet (quod nulli concedere mortalium Solon voluit) beati nomen obtinere poteſt. *Solon.*

Beatus homo quem tu erudieris Domine, & de lege tua docueris eum.

Magnitudinem tanti ſermonis & fructũ ſacræ ſcripturæ vbiq; memorãt. Viuus eſt (inquit Diuus Paulus) ſermo DEI & efficax & penetrantior quouis gladio vtrinque inſcindente. Verbũ DOMINI ad ea quæ iníquè perpetrata ſunt flagitia; remediũ maximũ. Et qui miſeriis calamitatibúſque ſunt oppreſsi, nõ aliud perfugium inueſtigare debent. Sed videamus in aliis rebus vti res ſe habeãt. Verè quidẽ Chriſtiani ſciunt quòd humana negotia comes dolor ſubſequatur. In hac autẽ tam felici exercitatione, ſpiritus quò magis penetrat, agit &

intuetur, ſenſim deinde poſsidet neſcio quod latens incrementum,& fructũ, & delectationẽ. Veruntamen ſedulò animaduertendũ vt non ex prophani alicuius libri lectione (qua nonnunquã probrum,infamia,cædes, aſtus & nequitiæ cõtinentur)ad turpe deprauatúmq; vitæ genusdeuoluamur.Quapropter modum inueſtigare licet,quo in difficilem nodum minimè incidamus.Turpe non modò ſed nefarium ignorare quod omnibus ſcire cõuenit. Quantũ ergo ſit pretioſa anima, non nos latere debet. Hæc enim immortalis, bonis omnibus quæ in orbe terrarum ſint, anteponẽda eſt. Animã itaq; ne corpus contaminet imprimis homines curare debent:inde profectò dicti ἀνθρώποι,quòd cætera animalia quæ videãt non cõſiderent, neq; animaduertant aut contemplentur. Homines autẽ & videre, ſimul & contemplari & animaduertere quod vidẽt, ſoleant. Qui ab iſtis humanitatis artibus paulò pòſt ad diuinã ſcientiam animũ adiun

Animã corpus ne contaminet.

Ἀνθρώποι Græcis homines cur dicti.

adiunxerunt, fatentur omnes ingenuè pro foliis fructum optimum inueniſſe. Lux longè alia Solis, alia lichnorũ eſt. Hoc dico, ne recedamus à præceptis eccleſiæ, & ab hiſtoria mandatorum DEI ſemper viuentis.

Attendite popule meus legem meam, inclinate aurem in verba oris mei.

Sin aliter eueniat, prope ſunt & imminent illa pericula, quibus dies noctéſq; obnoxij ſunt homines. Quis tã immanis aut ferreus, quis eo furore agitatus vnquam (ſed nemo eſt à ſacris ſermonibus auerſus) qui nõ cedat his chriſtianiſsimis & præclariſsimis exẽplis? Scriptum eſt, Si quis diuerſam ſequitur doctrinam, & non accedat ſacris ſermonibus Domini noſtri IESV CHRISTI, is inflatus eſt, nihil ſciens, ſed inſaniens circa quæſtiones ac diſputationũ pugnas. Cætera pij concedunt Theologi, ne ſubuertatur tota ratio mortaliũ, & quo ſtatus Reip. ab optimatib⁹ integer

poſsit adminiſtrari. Ciues à ſummis magiſtratibus bene regantur, totúſq; conſenſus nobiliũ ſuis pareat principibus. Viſum eſt, immo verò ſic mos increbuit, vt Iuriſprudentia tanquam vtilis à maioribus tradita etiã in ciuitate libera retineretur. Et, ſi hoc pacto loqui fas eſt, venerabilis medicina pro more colatur: ita tamen vt philoſophiæ præcepta bonarúmque artium ſtudia non negligantur. Illæque omnes artes vinculo quodam cõiunctæ diuinarum pediſſequæ ſint. Noſtra Chriſtiana Theologia non modò aſsiduè clauſa ſit in pectore, ſed ex ore ſemper fluat, colatur perpetuò, & veneretur.

Humanæ artes diuinarum pediſſequæ ſint.

Concreſcat vt pluuia doctrina mea, fiat vt ros eloquium meum.

Non recedat, vt legitur, volumen legis ab ore noſtro, quo omnem vitæ integritatem, caſtimoniámque perbellè colamus. Quapropter ſit omnibus literatis innatum & quaſi natura quadã inſculptum, diuina ſuis inſerere ſtudiis. Qui

enim

enim illam diſciplinā nihilipendit, infelix eſt, & vana ſpes eſt talium, infructuoſi quoque labores, & opera eorum inutilia. Quæ enim conuentio lucis ad tenebras? præter hoc fundamētum nemo poteſt aliud ponere. Docent nos ſacræ literæ innocentiam, patientiam, humilitatem, ſobrietatem, fortitudinem, conſtantiam, omnes deniq; virtutes & rectam viuendi normam.

Lex Domini immaculata conuertens animas, teſtimonium Domini fidele, ſapientiam præſtans paruulis.

Verbum DOMINI quod manet inæternū, ob oculos ponamus. Cæteræ enim res ætatum non ſunt omnium. Nihil eſt terra maríq; partum, quod nō aliquando conſumat vetuſtas. S. P. Q. R. quale olim fuit, non idem habet imperium. Non illa Græcia, quæ ferè abiecta conquieſcit, amplius floret: & quā diu caruerunt doctrina multæ nationes hodie eadem illuſtrantur. Pergamus igitur in *Romanorum imperium. Græcia.*

id diuinum ſtudium incumbere, quod neque immutari neque labefactari iniuria poteſt.

Da mihi intellectum & ſcrutabor legem tuam, & cuſtodiam illam in toto corde meo.

Non eſt diuinis literis maior theſaurus, non ſunt, mihi credite, elegantiores diuitiæ, aut ſuauiores. Perdit equidem quod viuit, qui non Chriſtianis præceptis delectatur: animámque languentẽ nulla alia medicina curare poteſt. At qui hanc cæleſtem philoſophiam amplexus fuerit, ditiſsimum copiæ cornu conſequetur, & bonum vitæ ſcopum adeptus, ſine vlla malefactorum conſcientia: ad extremum vitæ ſpatium felix perducetur.

DIVINARVM AC HVMANARVM ARTIVM COMPARATIONIS

Finis.

ΠΡÁΤΤΕΙΝ ΔΙΚΑÍΩΣ.

HORATII FLACCI LOCI DVO ILLVSTRATI.

HORATIVS vbi nauem proſequitur, qua Vergilius Athenas ferebatur, ſic ſcriptũ reliquit,

Illi robur & æs triplex
Circa pectus erat, qui fragilem truci
Commiſit pelago ratem.

Nonnulli quid æs triplex eſſet aliquando rogarunt, verùm, vt opinor, ex Iulij Cæſaris moneta perbellè explicari poteſt. Inſcriptio eſt eiuſmodi: COSSVTIVS MARIDIANVS A. A. A. F. F. quaſi dicas, AVRO, ARGENTO, AERE, F. F. Cæſaris eſt aliud numiſma, licet ad rem non faciant, tribus quoq; ſignatum literis V. V. V. Suetonius optimè id paucis eſt interpretatus. Pontico inquit, triumpho inter pompæ fercula trium *Aes triplex.*

trium verborũ prætulit titulum, VENI, VIDI, VICI. non acta belli ſignificantem ſicut cæteris, ſed celeriter confecti notam. Seculare ſubſequitur Horatij carmẽ elegans, & Imperatoris Vitellij nummo exornatum.

Quindecim Dianæ preces virorum.

Apollinis tripos in numis antiquis. Poſteriore parte numiſmatis tripos eſt Apollinis cum hac inſcriptione XV. VIR. SACR. FAC. Rectè equidem Quindecim viros probatur nõ tantùm Dianæ ſed Deûm Dearúmque ſacrificiis præfuiſſe. Plura, ſi DEO libitum fuerit, ſuo loco & de antiquis nominibus tradentur. Nunc ſatis ſit exempli gratia aliquot propoſuiſſe: veluti PREIMVS, LEIBERTAS, DIVOS, SVLLA. COS. Hæc in numis argenteis ſic leguntur, MEMMIVS AED. CERIALIA PREIMVS FECIT. Itẽ in alio, C. CASSI IMP. LEIBERTAS. Et in ære, DIVOS IVLIVS. Ad maiorem vim & autoritatem, vt in monumentis PIENTISSIMAE MATRI ET PI-

ISSI

ISSIMAE, FILIS pro filiis veteres poſuerunt.

Romæ,

D. M.
SEPTIMIANI HELIA FILIO
PIENTISSIMO FECIT.

Ibidem,

M. QVINTIVS FELIX M.
QVINTIO PYRALLO
FILIO PIISSIMO.

Ibidem,

CASSIA GERMANA SOROR VNA
CVM FILIS SVIS ET COHEARE-
DIBVS FRATRI DVLCISSIMO.

FINIS.

[library stamp]

LIBELLI CAPITA.

De varia quercus appellatione. Cap. 1.
De generibus quercuum. Cap. 2.
De querno folio. Cap. 3.
De glande quercea. Cap. 4.
De melle, fungo, galla, muſco, agarico, aliiſque quercuum fructibus. Cap. 5.
De viſco quercino. Cap. 6.
De veteribus Gallorum Magis. Cap. 7.
De prodigiis & ſacrificiis quercus. Cap. 8.
De ſimulacris quercus & quare Ioui dicata. Cap. 9.
De fatidica quercu. Cap. 10.
De fraude oraculi Dodonæi. Cap. 11.
De quercu fato reperta, & Milonis crudeli nece. Cap. 12.
De quercu maritima. Cap. 13.
De laudibus quercus & eius origine. Ca. 14.
De prouerbiis quercus, Cap. 15.

De

De animalibus quæ in quercubus viuant aut naſcantur. Cap.16.
De Dryadibus, & de his nominibus quæ à voce drys dryos congenita ſunt. Cap.18.
De robore. Cap.19.
De glandiferis arboribus. Cap.20.

Acceſſere,

DE monte Pylati.
De obſeruatione proſperæ valetudinis.
Diuinarum atque humanarum artium comparatio.
Loci duo apud Horatium illuſtrati.

Ad Lectorem.

ERudite Lector, quò breuiores eſſemus, multa quæ poterãt vinculo quodã verborum cõnecti, prætermiſſa ſunt: propter varium etiã dicendi genus, ſcriptorum ſententiæ nõ ſunt immutatæ. Quamobrem æquo animo prudens Lector legat: bonis enim ſtudiis atq; diſciplinis delectamur, non vt neceſſitatibus ſolatiũ præbeamus, ſed cum generis nobilitate claram virtutem aſſequi poßimus. Bene vale.

INDEX EORVM QVAE hoc toto opuſculo notatu digniora viſa ſunt.

AEgilops ſpecies quercus. pag. 11.
Aes Dodonæum. 32.
Aes triplex. 107.
Aeris electio. 94.
Agarici vires. 20.
Agaricum an quercus ferat. 19.
Agenoliere, colliculus. 54.
Agria drys. 9.
Alexander Epyri Rex. 31.
Alexandri Macedonis inuentum ſeruandæ niuis in ſcrobes. 12.
Alexandri quercus. 30.
Aliam quercum excute, prouerbium. 45.
Ἄλις δρυός, prou. 43.
Animalia Pylati montem inhabitantia. 90.
Ἄνθρωποι Græcis homines cur dicti. 102.
Apollo Soſianus. 29.

Apol

Apollinis tripos in numis antiquis. 108.
Arcas Rex Arcadiæ. 16. & 36.
Arcadas glande primùm victitaſſe. 14. & 15.
Arcadia antè Pelaſgia. 16. 35. &
Drymodis dicta. 55.
Aria arbor. 66.
Ariſtandri & C. Oppidij Commentarij de arboribus vocalibus. 33.
Arpalones. 79.
Aſclepiades medicus. 95.
Athenienſium priſcorum & aliorum populorũ primus victus. 14.
Athenienſium vetus conſuetudo. 17.
Auellana nux. 66.
Auguſti numiſma. 50.
A. Manlij Torquati, Cn. Bebij & Dict. Cæſaris patris repentina mors. 94.
Aurelle ſiue Airelles herba. 71. & 88.
Aurum quomodo purgent qui Arpalones vocantur. 79. & 80.

B

Babalauſtum. 61.
Bacchelardi. 76.
Βαλάνηρα. 7.

Balaniſtæ,	15.
Balanus,	65.
Balauſtum.	61.
Bauiſer.palus.	80.
Bauſſeuerium.	77.
Beſſa,pagus.	74.
Bias Prienenſis.	46.
Bœotiorum origo.	34.
Bœotica auris.prouerbium,	34.
.Bœotica cantilena.prou.	34.
Bœoticum ingenium.prou.	34.
Boleti fungorum innocentiſsimi,	18.
Bona valetudo quæ poſtulet.	91.
Bonæ vatetudinis præcepta,	92.
Bryon.	19.

C

Cacalia,her.	71.87.
Cachrys.	59.
Calcis mons.	86.
Caligneri.	76.
Chamædrys. 56.pag. *Charme.*	10.
Carnium vſum ſanitatem impedire.	95.
Caſtaneæ de genere glandium.	65.
Caſtaneæ genus incognitum.	65.68.

Cemme

Cemmenus mons. 73.
Ceres. 15.16.
Cerro ſuggaro. 63.
Cerrus. 62.
Cerrus ſpecies quercus. 11.
Cerui & Corui cur diutiſſimè viuant. 96.
Cheſna. 8. 9.
Cheſnette. 56.
Chriſtiana Theologia. 104. 106.
Cibum ſimplicem homini vtiliſſimum. 91. 92.
Cicero Cos. ciuica cor. donatus. 51.
Ciceronis poëma de Arpinatum quercu Mariana. 41.
Claudius Imp. boleto medicato periit. 18.
Corona ciuica. 50.51.52.53.
Cygnos cum voluptate mori. 96.

D

Dædalorum ſacrificia. 26.
Delphos. 33.
Delphici oraculi falſitas. 35.
Democritus. 95.
Deſerta herba. 71. 87.
Deucalion. 31. 45.
Diodori Philoſophi, & Dionyſij Sic. Tyr. mi-

randus interitus. 94.
Diuinæ literæ. 100.105.106.
D.*Sabini oraculum.* 84.
Diuos pro Diuus, preimus pro primus, leibertas pro libertas, & Sulla pro Sylla veteres vſurpaſſe. 108.
Dodona. 30.
Dodonæum oraculum. 33.
Dodonides Nymphæ. 32.
Dodonides ſacerdotes. 34.
Doybius fluuius. 74.
Doyſienſes ruſtici. 74.
Druydæ Gallorum magi. 21.24.
Druydum in viſco demetendo religio. 22.
Δρῦς. 7.8.
Dryades. 53.54.55.
Dryidæ. 24.55.
Drynus ſerpens. 49.
Δρυοκολάπτης. 47.
Dryophitæ ranæ. 56.
Driophonon. 56.
Dryopteris. 55.
Dryos locus. 55.
Δρυπετής. 55.

Δρύ

Δρύφακτος. 55.
Durior annoſa quercu,prouerbium. 47.
E
Enzina quercus. 10.
Epyrotæ. 33.
Eſculus. 61.62.
Eſculus,ſpecies quercus. 11.
Etiam mænas quercus facta eſt,prouerb. 44.
Etimodrys. 9.
Exercitatio. 96.
Ex quercubus nati,prou. 45.
F
Fabæ nomine Græcos piſum noſtrum ſignificare. 88.
Fagus. 64.
Fagus ſpecies quercus. 10.11.
Fagi lignum. 64.
Fatalium domus. 82.
Fauſtulus paſtor. 37.
Filus pro filiis veteribus vſurpatum. 109.
Fons Agriæ. 27.
Fontis Pylatini mira frigiditas. 81.
Foſſæ,locus. 87.
Franciſcus Gall.Rex. 41.

G

Galla Comagena. 19.
Galla hemeridis. 19.
Galliæ flumina maſc.ge.aurum ferre. 79.
Gallonas. 62.68.
Gerandryon. 8.33.
Gierius flu.74.aurifer. 79.
Glande priſcos homines victitaſſe. 13.
Glandes olim multarum gentium opes. 15.
Glandium puluis. 17.
Glaner, vnde deductum nomen. 29.
Glans cerri. 62. 68.
Glans fagi. 15.64.70.
Glans hemeridis. 70.
Glans ilicis Pylatinæ. 69.
Glans Indiæ. 70.
Glans optima quæ.9.13.quæ maxima. 9.64.
Glans quercus. 68.
Glans quercus perpetuò virentis. 69.
Glans ſmilacis Pylatinæ. 69.
Glans ſuberis. 70.
Gray, ruſtici Pylaini. 86. Græcia. 105.
Gulielmus du Choul autoris pater.3. Idē libros XII. de antiquitatibus Rom.conſcripſit. 51.

Halip

H

Haliphlœos. 9.11.64.
Hamadryades Nymphæ. 54.55.
Hemeris. 9. 11.
Hemeris roboris genus. 64.
Hemeridis & quercus differentia. 9.
Herbæ Pylatinæ. 87.88.89.90.
Horatij locus. 107.108.
Hous. 63.
Hullos, arbor. 61.
Humanæ artes. 100.
Humanæ literæ diuinarũ pediſſequæ ſint. 104.
Hyades. 33.
Hyphear. 21.

I

Ilex. 62.
Ilex aquifolia. 63.
Ilex ſpecies quercus. 11.
Iouis ſimulacrum ex vite. 29.
Italia querno folio aſsimilata. 12.
Iuglans arb. 65.66.
Iulius Cæſar. 51.
Iulij Cæſaris numiſma. 107.
Iupiter Dodonæus. 32.

Iupiter Lyceus. 27.
Iupiter Stratius. 30.
Iuriſprudentia. 104.

L

Leſqui ymeri. 11.
Leonem ad quercus attactum horrere. 50.
Lex XII. tabularum de glande in alienum ſolum cadente. 13.
Longiæ, vicus. 83.
Lothi quædam ſpecies. 89.
L. Gellius vir Cenſorius. 51.
Lycastus & Parrhaſius gemelli. 3637.

M

Magnetis lap. occulta vis. 78.
Martius Coriolanus. 52.
Medicina. 92.
Melandrion. 57.
Melanos ymeri. 11.
Melze. 59.
Milo Crotoniates. 37.
Morborum multa ſigna, ſecuritatis nullum. 94.
Mulſo vtendum. 94.
Multorum Iouis feſtorum glandes comedit, prouerb. 17.

Myroba

Myrobalanum. 66.

N

Naiades Nymphæ. 55.
Nereides Nymphæ. 55.
Non ſemper aquilonibus querceta Gargani laborant, prouerbium. 47.
Numeri imparis vis. 25.
Nux iuglans ſenio in quercum mutatur. 42.
Nux moſchata. 66.
Nux myrepſica. 66.

O

Oreades Nymphæ. 55.
Ornus, roboris ſpecies. 59.
Oxia, ſiue Sciſsima, arbor. 65.

P

Pantoflæ. 64.
Parnaſus mons. 33.
Phalacras. 88.
Pæonia. 48.
Pelaſgos. 41.
Pelaſgus Rex. 13.
Per tenebras quæ apud quercũ ſunt. prou. 46.
Phellodris. 63.
Philonomia. 36.

Philo

Philoſophi cuiuſdam ſententia improbata. 92.
Picus Martius. 47.48.49
Picum cur Latini venerabantur. 48.
Platæa Aſopi Regis filia. 27.
Platænſes. 26.
Platyphillos ſpecies quercus. 11.
Plinij locus deprauatus. 64.
Polypodium. 55.
Porphyrius. 95.
Prienenſes. 46.
Pylati mons. 73.
Pylatina ſylua. 74.75.
Pylati puteus. 76.78.79.
Pyrrha. 31.45.

Q

Quæ regiones à lupis non infeſtentur. 50.
Quercubus ineſſe marem & fœminam. 11.
Quercubus ſacrificabant veteres. 28.
Querculanus mons. 55.
Quercum reuixiſſe. 42.
Quercus adſtringit. 8.43.
Quercus apud Andegauos perpetuò virẽtes.11.
Quercus cinis. 43.
Quercus contra Romanos pugnant. 39.

Quercus

Quercus cum olea & nuce iuglãdc odium. 42.
Quercus cur Ioui *dicata.* 30.52.
Quercus cur ſic dicta. 40.
Quercus Dodonæa. 30.
Quercus in Britãnia *ante ædes nobiliũ.* 41.42.
Quercus in Rubro *mari naſci,necnõ in* Oceano
Luſitaniæ. 38.
Quercus inter ſylueſtres arbores fertiliſſima.
39.40.
Quercus laudes. 42.43.
Quercus,loci nomen. 46.
Quercus Mariana. 41.
Quercus mel fert,17.fungos,18.gallam & muſcum. 19.
Quercus naſci ſuper ſuccinum. 38.
Quercus oraculum. 31.32.
Quercus Palatina. 52.
Quercus per inſitionem pyra fert. 21.
Quercus vocales. 31.33.
Quercuum genera. 10.
Querna conſilia,prouerb. 40.
Querneus carbo. 43.
Quernum folium,& eius vires. 12.
Querquera febris. 40.

Querq

Querquerum quid. 40.
Querquetulanæ Nymphæ. 54.
Quid ſit Pylati puteus. 79.
Quindecim viri ſacris faciundis. 108.

R

Raucæ, vermes. 49.
Roboraria vnde dicta. 59.
Robur. 8.11.57.58.59.61.
Robur à duritia. 59.60.
Robur, carceris nomen. 60.
Rhodanus fl. aurifer. 79.
Rom. imperium nunc collapſum. 105.
Romulus & Remus. 37.48.
Romulus Pollio. 94.
Roule aut Roure. 10
Rouria familia. 40.

S

Sambucus montana. 88.
Samolis her. quõ à Druydibus legeretur. 23.
Sat quercus, prouerb. 43.
Scarabei genus in quercubus viuens. 50.
Scordion, betonica, triſſago & ſyderitis folia querceis habent ſimillima. 12.
Selago Druydibus Gall. in magna religiõe. 22.

Sep

Septentrionalium pop.mos de ſuorum Principum cadaueribus ſuſpendendis. 40.
Sixtus IIII.Pontif.Max. 40.
Smilax arbor. 63.
Solon. 101.
Stelin. 21.
Suber arb. 63.

T

Tartara,pagus. 84.
Themiſtocles quercubus ſe comparabat. 39.
Theſſalia. 55.
Tiberius Cæſar Druydas ſuſtulit. 24.
Torropanes, villa. 83.
Treilly, arbor. 71.89.
Tridens collis. 85.
Triptolemus. 16.
Tronſac, nemus. 41.
Thunnos marinos ſues eſſe. 38.
Thurro. 50.
Tyliphus paſtor. 37.

V

Vellotas. 10.
Viriacum, pagus. 74.
Viſcum in quibus arboribus naſcatur. 21.
Viſcum

Viſcum quercinum. 21.23.
Vitelly Imp. numiſma. 108.
Vitis Idæa. 71. 88.
Vitis lignum. 30.
Vlmus. 66.
Vua dolce. 88.

Y

Yeoſe. 63.

FINIS.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Errata ſic corriges.

Pag.34.verſu.24.lege Bœotos.36.ver.1.Pelaſgos.43.ver.6. adſtringentis.51.ver.5.addendum erat margini, Baliuys montium Delphinatus,delendúmque aut.75.ver.4.lucus.85.ver.7. congenitum.88.ver.12.ea parte naſcens, quam vocant &c.88. ver.18.Itali. ver.21. Theophraſtus.89.in margine, abietes l'ylatinæ.107.ver.17.faciat.109.ver.13.cohæredibus.Accentus autem in nonnullis dictionibus Græcis perperàm ſitos aut tranſpoſitos æquus Lector diſcernens ignoſcet.